



Specimen historicum inaugurale de Marco Licinio Crasso

<https://hdl.handle.net/1874/291043>

SPECIMEN HISTORICUM INAUGURALE,

DE

MARCO LICINIO CRASSO.

3

SPECIMEN HISTORICUM INAUGURALE,
DE
MARCO LICINIO CRASSO

QUOD

DEO FAVENTE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IACOBI ISAACI DOEDES,

THEOL. DOCT ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

in Academia Rheno-Traiectina,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

BERNHARD WILHELM HOFFMANN,

ex pago Uithuizen Groninganus.


DIE X. IANUARIJ, ANNI MDCCCLXV, HORA II.



Traiecti ad Rhenum,

APUD KEMINK & FILIUM, TYPOGR.

MDCCCLXV.



In magna, qua saepe premimur, argumenti inveniendi difficultate, suadente Promotore aestumatissimo, scribere statueram „de necessitudine inter tribunatum plebis et interiorem civitatis Romanae conditionem.”

Mox autem muneris publici officiis distracto mihi persuasum erat materiam viribus meis esse maiorem, praesertim etiam, quum a Musarum sede remotus tantum non omnibus scribendi subsidiis carerem.

Attamen mea intererat legi quam primum satisfacere. Decrevi igitur tractare argumentum, quod saepius intermissum iis, quae mihi suppetebant, subsidiis ad finem perducere possem; ideoque agere constitui de

MARCO LICINIO CRASSO.

Cogitet velim lector benevolus, non aliorum sed mea ipsius causa me hanc scripsisse disputationem, ut summos consequerer in literis honores.

Omnibus, quorum in Academia Ultraiectina scholis interfui, Praeceptoribus maximas ago gratias. Pri-

stinam ut in me benevolentiam servent, etiam atque etiam rogo.

Promotoris autem plurimi faciendi, Cl. ROVERS, erga me merita et comitatem verbis extollere non lubet.

Credat velim, me numquam obliturum esse ea, quae ipsi et in literarum studiis et in hoc specimine conscribendo accepta refero.

Diu eum salvum esse velit D. O. M.

Utinam hic illum non desiderarem virum, qui quantum mihi profuerit, grato semper recordabor animo!

KARSTENIUM dico, virum egregiis ingenii animique laudibus insignem, ante hos octo menses necopinato Academiae nostrae ereptum.

Memoria Praeceptoris optimi mihi iucundissima esse haud desinet.

Vos autem amici, quorum fide delectatus sum, estote felices meique interdum memores.

CONSPECTUS.

PROLEGOMENA	Pag. 1.
-----------------------	---------

CAPUT I.

DE CRASSI IUVENTUTE ET MORIBUS PRIMISQUE REBUS AB EO GESTIS	9.
--	----

CAPUT II.

CRASSI DE PATRIA IN BELLO SERVILI GERENDO MERITA.	16.
---	-----

CAPUT III.

CRASSI IN REBUS PUBLICIS PARTES A BELLO SERVILI USQUE AD BELLUM PARTHICUM	28.
--	-----

CAPUT IV.

CRASSI IN PARTHOS EXPEDITIO ET INTERITUS	65.
--	-----

PROLEGOMENA.

De Marco Licinio Crasso priusquam agam, paucis mihi monendum esse puto de civitatis Romanae conditione ultimi ante aeram nostram seculi initio, in quod adolescentia et inventus huius viri incidunt.

Optimates, qui ex contentionibus Gracchorum victores decesserant, male victoria usi sunt.¹⁾ Ab hoc enim tempore civitatis commodum nihil curarunt, suis tantum prospexerunt rebus, nec honestatis, sed divitiarum habuerunt rationem.²⁾

Avaritia eos tantum non omnes invaserat, provinciae ab iis petebantur, ut inde sibi corraderent opes, ius ex iudicum commodo dicebatur, et adeo omnia Romae erant venalia, ut haud miremur Numidiae regem Roma egressum in haec verba erupisse ferri: *urbem mature perituram si emptorem invenerit.*³⁾

¹⁾ App. B. C. I, 27. Sall. B. I. 42.

²⁾ Sall. B. I. 8. 31. 41.

³⁾ Sall. l.l. 35. Flor. III, 12.

Iugurtha enim vilibus eorum, qui Romae rebus praecerant, animis et suis opibus fretus nefanda ediderat facinora, quae bellum cum Romanis moverant, quo bello cognitum est, quantopere talis optimatium dominatio reipublicae noceret. Duces a senatu contra regem missi auro corrupti sunt, milites inertiae et voluptatibus dediti pristinae obliti sunt virtutis, legati agros divisum in Africam missi, aequitati praeposuerunt aurum.

Quum tandem exercitus Romanus sub iugum missus esset, civitas expergefata est et ne virtus quidem et probitas Metelli prohibere potuerunt, ne populus potestatem nobilibus eriperet. In hunc tribuni plebis omnibus concionibus vulgum instigarunt, eoque tandem rem perduxerunt, ut Marius humili loco natus et crearetur consul et cum imperio contra Iugurtham mitteretur.¹⁾

Nondum hoc bellum finitum erat, quum iam e septentrione alia Italiae imminabat ruina. Cimbri enim et Teutones regionum fertilium et amoenarum cupiditate ducti Galliam et Italiam petebant; qui postquam in Gallia exercitus Romanos profligaverant, magnum Romae iniecerunt timorem. Hanc etiam cladem populus tribuebat dominationi et vitiis optimatium, unde Mario licet absentem, rursus, cum consulatu imperium datum est.²⁾ Sed quum popularium vires

1) Sall. B. I. 73.

2) Sall. I. I. 114.

iam adeo crevissent, iique eadem via Mario ducé progderentur, optimates etiam ducem nacti sunt intrepidum, L. Cornelium Sullam.

Sulla prorsus a Mario differebat. Natalibus et institutione optimatibus iunctus, omnibus fere insignis erat virtutibus, multisque idem maculatus vitiis.

Iam inde a bello Iugurthino magna orta erat invidia inter Marium et Sullam, et dira quadam necessitate hi viri videbantur destinati esse, ut aliquando duces fierent hostilium in civitate factionum.

Quum Marius anno 100 sextum consul esset, primum cum Glaucia et Saturnino coniunctus plebis tuitus est potestatem, sed postquam sociorum turbulenta prodiderat consilia et arma adeo iis intulerat, sibi omnium contraxit factionum odium et nobilitatis auctoritatem erexit. ¹⁾

Equites deinde, qui ubi lege Sempronia accerperant iudicia, ²⁾ invidiosi erant senatui, partibus popularium relictis, optimatibus accesserunt et iudiciis persecuti sunt omnes, qui Marii favissent consiliis. Postquam autem equites victoria superbiennes tam in optimates quam in populares furere coeperunt, pax inter eos dissoluta est. Equitibus igitur iudicia adimere eaque senatui reddere Drusus conatus est, qui simul, ut civitatem valde quassa-

¹⁾ Plut. Marius, passim.

²⁾ App. B. C. I, 22.

tam pacaret, legem tulit, qua paupertati multorum civium succurreretur et omnibus Italiae incolis daretur civitas. ¹⁾

Multis autem haec omnia displicebant, neque equitibus tantum propter iudicia adempta, sed etiam senatoribus, quibus invisae erat lex de civitate cum sociis communicanda, et tantas adversarii excitarunt contentiones et turbas, ut Drusus in sua domo interficeretur.

Splendidi Drusi mortem ludi funebres secuti sunt. Socii permultos iam annos civitatem appetiverant, quae semper iis negata erat. ²⁾ Quum vero Drusi morte spe denuo excidissent, grave bellum moverunt, quo tota Italia vastata est et Roma in summum adacta periculum; quo quidem bello quantae fuerint sociorum vires, ex hoc intelligi potest, quod primum sociis, qui non defecerant, postea autem bello finito omnibus Italiae incolis civitas data est. ³⁾

Magnus Sulla ex bello sociali prodibat, et gloria multarum victoriarum insignis, consul creatus est in annum 88. Eodem hoc anno bellum exarsit inter Romanos et Mithridatem Ponti regem. Senatus decrevit, Sullae contra hunc regem esse proficiscendum. Hoc autem non placebat Mario, qui ipse victoriarum cupidus sibi postulabat imperium contra Mithridatem. ⁴⁾

¹⁾ App. l. l. I, 35.

²⁾ App. l. l. 34.

³⁾ App. l. l. 49 et 53.

⁴⁾ App. l. l. 55. Flor. III, 21.

Hinc, fretus auxilio et viribus novorum civium, per tribunum plebis Sulpicium legem ad populum ferendam curavit, qua iuberetur Sulla abdicare se imperio et Mario tradere exercitum, quippe qui a populo in orientem mitteretur.

Sulla autem eum praevenerat. Nolam fugerat ad exercitum ibique militibus narraverat, quali a Marianis iniuria esset affectus. Statim omnes milites promiserunt se eum secuturos, quocumque eos duceret, et verbis facta addentes lapidibus obruerunt legatos, qui populi iussu a Sulla peterent, ut ipsis traderet copias.¹⁾ Iam alea iacta erat, castrisque motis Sulla milites Romam duxit, urbem expugnavit et in ipsa urbe hostibus fugatis omnia ex suo ordinavit commodo.

Praeter opinionem mitis erat in Mariados. Marium tantum et Sulpicium et paucos alios hostes declaravit patriae et, quum populus spretis Sullae candidatis consules creasset Octavium et Cinnam, non adversatus est, quamquam Cinna adversarius erat addictus. Hunc tamen, antequam contra Mithridatem profectus est, iureiurando obstrinxit, se nihil eorum, quae Sulla instituisset, esse mutaturum.²⁾ Vix autem Sulla solum verterat, quum Romae inter consules turbae motae sunt, et tandem armis inter eos certatum est. Cinna enim datam fidem non ser-

¹⁾ Plut. Marius 35. Sulla 9.

²⁾ Plut. Sulla 10.

vans, Marianos revocare iisque urbem tradere volebat, cui consilio quum Octavius restitisset armis collatis, Cinna devictus Roma abiit.

Sed brevi post collectis ex novis civibus militibus rediit, Marium revocavit et Roma potitus est. ¹⁾ Tunc strages editae sunt eorum, qui Sullae faverant auctoritati et paucis contigit Roma effugere et in Graeciam proficisci ad Sullam. ²⁾

Hic licet ab adversariis domi victus, strenue rem gerebat in Graecia, et hostes domesticos non curans omnibus usus est viribus in hostem publicum Populi Romani. Anno 84 pax facta est cum Mithridate, et Sulla novis redimitus tempora lauris cum exercitu 40,000 militum rei militaris peritissimorum ex Graecia in Italiam rediit. Quum Brundisium appulerat, multi eum adierunt nobiles, et Sulla nihil moratus bellum movit contra Marianos. ³⁾ Nam ipse Marius iam duobus annis ante mortuus erat; et Cinna, qui non ausus erat Romae manere, Anconae, in Illyriam profecturus, a militibus interfectus est. ⁴⁾ Sed multi adhuc Sullae supererant adversarii, et validos illi habebant exercitus, quos tamen omnes Sulla tandem devicit. Tum vehementissimo odio cunctos persecutus est, qui Marii et Cinnae partes

¹⁾ App. l. l. Flor. III, 21.

²⁾ Plut. Sulla 22. App. l. l. 71 seqq. Flor. l. l.

³⁾ App. I, 80.

⁴⁾ Liv. Epit. 83.

tuiti erant. Omnes cives Romanos magno implevit timore proposita tabula illa ferali, in quam eos, quos e medio tollere decreverat, referebat. Quem in numerum retulisset proscriptorum, hunc unicuique licebat interficere, et si quis eum servare conatus esset, ipse morte plectebatur; qui autem proscriptum prodidisset, praemium accipiebat; quo factum est, ut omnia sanguinis et religionis vincula dissolverentur; nam amicus prodebat amicum, servus dominum, filius etiam patrem. Bona proscriptorum sub hasta venibant aut dono dabantur amicis Sullae, eorumque liberi et nepotes omnibus destituti erant iuribus.¹⁾

Veterem regiminis formam aristocraticam, quam dicunt, restituit, et senatum iussit ipsum dicere dictatorem in tempus non definitum.²⁾

Hoc munere ornatus, senatui reddidit iudicia cumque trecentis auxit equitibus et auctoritate atque honore munivit. Tribunorum autem iura adeo diminuit, ut umbra tantum pristinae potestatis superesset, quum nihil iis relictum esset, nisi ius quoddam circumscriptum intercedendi.

Adiecit etiam hoc, ut ii, qui tribunatu functi essent, alios magistratus gerere non possent³⁾. Co-

¹⁾ Plut. Sulla 31. App. l. 95. Liv. Epit. 89. Flor. III, 21. Sall. Hist. Fr. I. 45. 6.

²⁾ App. l. 99. Liv. l. 11.

³⁾ App. l. 100. Liv. l. 11. Caes. B. Civ. I, 5 et 7. Cic. Verr. I, 13. Vell. Patere. II, 32. Tac. Ann. XI, 22.

mitia privavit iure creandi sacerdotes et collegiis sacris ius restituit cooptandi, quo antea per diu usa erant. ¹⁾

Inter multas alias etiam hanc legem tulit, ne cui liceret magistratum gerere maiorem, nisi ex ordine minoribus esset functus, neque eodem fungi magistratu inter decem annos. ²⁾

Hac lege populi potestas fracta est, nam antea saepius populus maiores dederat magistratus iis, qui nondum quaestura vel aedilitate ornati erant, quae causa fuerat, cur multi homines ambitiosi auram popularem sectati, brevi tempore summam in civitate accepissent potestatem. Haec omnia ille forti perfecerat animo et adeo immunis omnis metus esse videbatur, ut paucis annis post sponte dictatura se abdicaret et privatus ac si nullum haberet hostem, obambulare in foro Romano.

His temporibus adolevit Crassus et inter iuvenes nobiles, qui Sullae gratia et favore usi sunt, non mediocrem tenuit locum.

¹⁾ Dio Cass. XXXVII, 37.

²⁾ App. l. l.

C A P U T I.

DE CRASSI IUVENTUTE ET MORIBUS PRIMISQUE
REBUS AB EO GESTIS.

Marcus Licinius Crassus natus est patre nobili Publio Licinio Crasso Divite, qui anno a. C. 97 consul fuit, ¹⁾ quadriennio post ex Hispania redux de Lusitanis triumphavit, et anno 89 censura ornatus est. ²⁾ Annum filii natalem certo statuere nobis non licet; hoc tantum ex Plutarcho efficimus, Crassum natum esse ante annum 115, quippe qui 60 annis maior ab hoc scriptore fuisse dicatur quum in Parthos abiit, quo eum anno a. C. 55 profectum esse constat. Quo autem iure Manutius affirmaverit, Crassum sex annis maiorem fuisse quam

¹⁾ Plin. XXX, 4.

²⁾ Plut. Crass. 1. Plin. XIII, 3. XIV, 14. Festus in voce *referri*.

Ciceronem, et idcirco illius natales in annum coniecerit 112, non liquet. ¹⁾

Domi parce educatus est et, quamquam non excellebat ingenio, institutione usus est non vulgari, magistrum nactus Alexandrum philosophum, quo duce philosophiae Aristotelicae operam dedit. ²⁾

Maximam autem operam navavit arti rhetoricae iisque disciplinis, quibus in foro uti posset, et licet neque dicendi elegantia et lumine neque doctrina praestiterit, diligentia tamen et causarum cognitione eo pervenit, ut iure in principibus haberetur patronis. ³⁾ In nullam profecto rem magis incubuit, quam ut augeter rem familiarem. Nam mira flagrabat opum cupidine. Si odoratus esset occasionem pecuniae augendae, nullis laboribus nec suae nec alienae famae parcebat, ut ea potiretur. ⁴⁾

Mirum in modum aliorum calamitates in suum vertebat commodum et divitias sibi comparabat ex caede et igni; nam multorum, quos Sulla proscripserat, domos et agros partim emit, partim a Sulla dono petivit et accepit. Idem, quum Romae incendium exortum erat, semper aderat ut aedificia flagrantia, quaeque iis proxima erant et periculo exposita, parvo emeret pretio a dominis timore percussis. ⁵⁾

¹⁾ Plut. Crass. 17. Man. ad Cic. Ep. ad Fam. V. 8.

²⁾ Plut. Crass. 3.

³⁾ Plut. l.l. Cic. Brut. cap. 66.

⁴⁾ Plut. l.l. 1.

⁵⁾ Plut. l.l. 2.

Practerea Crassus multas aedes emere solebat, quae ruinam minabantur et a dominis non valde locupletibus restitui non poterant. Quo maiores inde perciperet fructus, magnam sibi comparaverat copiam servorum fabrorum, quos adhibebat ad aedificia restituenda et emendanda, ut grandi deinde pecunia ea locare posset; sic dominus evasit magnae partis urbis. ¹⁾

Multos practerea possidebat et pretiosos agros, villas magnificas, servos omnium artium et litterarum peritos, multas etiam argentifodinas, quo factum est, ut omnium sui temporis Romanorum esset ditissimus. ²⁾ Amicos autem libenter adiuvabat, iisque nonnunquam pecuniam dabat mutuam sine usuris, ea tamen conditione, ut tempore statuto sortem redderent. ³⁾ Multi ideo Romani a Crasso pendebant, eiusque in urbe auctoritas non erat negligenda. ⁴⁾ Domus hospitibus semper patebat, sed convivium erant sobria, decore autem et liberaliter ornata. ⁵⁾ Erat optimus rerum familiarium custos, ipse curam habebat, ut servi bene docerentur, et interdum fungebatur officio magistri dicebatque, servis esse videndum, ut singula in domo recte fierent, sed domino, ut servi essent quam optimi. ⁶⁾

¹⁾ Plut. l. l.

²⁾ Plut. l. l.

³⁾ Plut. l. l. 3.

⁴⁾ Sall. Catil. 48.

⁵⁾ Plut. l. l.

⁶⁾ Plut. l. l. 2 extr.

Postquam diris Marii et Cinnae temporibus patrem et fratrem alterum amiserat,¹⁾ fratris viduae et liberorum curam habuit eosque in domum suam recepit.²⁾ Quum autem ipse Romae parum tutus esse videretur, cum tribus amicis et paucis servis in Hispaniam profectus est. Ibi iam antea cum patre fuerat, qui consulatu functus Hispaniam obtinuerat provinciam, ibique multos sibi adiunxerat amicos, quorum auxilio nisus sperabat fore, ut latebras ibi inveniret. Neque haec spes eum fefellit.³⁾

Per octo enim menses ibi latuit in antro maritimo, quotidie victum accipiens a Vibio Paciano,

¹⁾ De modo, quo hi mortui sunt, varia varii scriptores narrant. Conf. App. B. C. I, 72. Cic. ad Att. XII, 24. Liv. Epit. 80. Flor. III, 21, 14.

²⁾ In vita Crassi cap. I. verba "Αποθανόντος δὲ τοῦ ἑτέρου τῶν ἀδελφῶν τῇ γυναικὶ συνήκησε καὶ τοὺς παῖδας ἐξ ἐκείνης ἔσχεν" vexarunt interpretes. Nonnulli haec verba ita interpretati sunt ut contenderent "*Crassum fratris sui vita defuncti viduam uxorem duxisse, ex eaque liberos procreasse.*" Perperam. Saepius quidem *συννηεῖν* significat "*in matrimonio vivere*" idque tam de viris quam de mulieribus dicitur; sed etiam simplici sua et prima significatione accipitur, qua est *eadem uti domo*. Articulus etiam *τοὺς* ante *παῖδας* ostendit, dici de fratris liberis, nam si ipse Crassus ex ea liberos suscepisset, Plutarchus scripturus fuisset *παῖδας ἔσχεν ἐξ αὐτῆς*. Crassus fratris viduam secum in aedibus habuit, eiusque etiam liberos retinuit, quod fuit humanitatis. Quomodo tandem Crasso tribui posset laus illa *εὐταξίας*, si uxorem duxisset fratris viduam?

³⁾ Plut. li. 4.

qui patris fuerat amicus. ¹⁾ Anno 84, post Cinnae mortem, Crassus relicto antro exercitum collegit tumultuarium et sibi viam munivit ad urbem Malacam. Hic navces sibi comparavit et mari trajecto se coniunxit cum Metello Pio, qui in oris Africae partes tuebatur optimatum. Sed non diu apud Metellum mansit. Mox enim discordia inter eos orta est, et quum Sulla anno 83 in Italiam rediisset, Crassus inter primos fuit, qui ipsum sequerentur, et magno apud eum floruit honore. ²⁾ Brevi post a Sulla ad Marsos missus est ad delectum habendum, quo quum per terram hostilem ipsi proficiscendum esset, a Sulla petivit praesidium, sed hic *„do tibi,”* inquit *„praesidii loco patrem, fratrem, amicos, ad quos ulciscendos poenas sumam ab interfectoribus.”* Itaque sine praesidio profectus est, et re fortiter peracta multos Sullae adduxit milites omninoque militis et ducis officia strenue praestitit. ³⁾ Anno 82 viribus cum Pompeio iunctis profligavit Albium Carinam, legatum Consulis Papirii Carbonis, apud Spoletum in Umbria, ipsumque Albium in urbe oppugnavit. ⁴⁾

Quum deinde Tuder, Umbriae urbem, cepisset, avaritiae suae indulisit adeo, ut totam diceretur prae-

¹⁾ Plut. l. l. 4 seqq.

²⁾ Plut. l. l. 6.

³⁾ Plut. l. l.

⁴⁾ App. B. C. I, 90.

dam intervertisse. ¹⁾ Samnites nondum et Lucani arma posuerant et grave cum his populis proclium commissum est ante ipsas portas Carinas, quo proelio quum cornu dextrum hostibus cecidisset, laevum cornu, cui praeerat Crassus, hostibus reiectis, Sullae victoriam praebuit. ²⁾

Iam inde ab hoc tempore invidia orta est inter Crassum et Pompeium.

Pompeius enim primas apud Sullam agebat partes, fortiaque facta praestabat, ita ut a Sulla MAGNUS diceretur et nomine insigniretur imperatoris, eumque ipse dictator capite detecto salutaret et ei, quamquam nondum in senatum lecto, triumphum concederet. ³⁾ Haec omnia pungebant Crassum, imprimis quia Pompeius aliquot annis natu minor erat. Accedebat quod Crassus non tantum pecuniae, sed etiam gloriae et potestatis esset cupidus, qua animi conditione eius vita, licet ceteris immunis illius temporis vitiis, prorsus inquinata est. ⁴⁾

Sed procul aberat ut haec aemulatio inimicitias moveret inter Crassum et Pompeium. Ille enim quum videret, se gloria belli Pompeium acquirare non posse, militia usus est togata, ut auctoritatem et gratiam sibi pararet. ⁵⁾ Semper erat in foro, omni-

¹⁾ Plut. l. l.

²⁾ Plut. l. l. et Sulla 29. App. B. C. I, 93.

³⁾ Plut. Pomp. 8, 14. Crass. 6.

⁴⁾ Plut. l. l. Vell. Patere. II, 46.

⁵⁾ Plut. in vita 7.

bus eloquentia praesto erat, neque causa erat tam parva, tamve ab aliis contempta, quam suscipere nollet. ¹⁾ Omnes salutabat et unicuique mitem et benevolum praebebat vultum. ²⁾ Optime aliis poterat adulari et ipse adulatoribus aures praebebat patulas et dociles. ³⁾ Non vehemens erat in ira et facile poterat placari; amici autem boni et fidelis officia nonnunquam deseruit, quia utilitas ei omnium rerum norma erat. Quamobrem modo nobilium secutus est partes, modo captavit auram popularem. ⁴⁾

¹⁾ Plut. 1.1. 3.

²⁾ Plut. 1.1. 7.

³⁾ Plut. 1.1. 6.

⁴⁾ Plut. 1.1. 7.

C A P U T II.

CRASSI DE PATRIA IN BELLO SERVILI GERENDO MERITA.

Tristis saepe servorum apud Romanos erat conditio, magnaque dominorum in eos saevitia, quo factum est ut plures ab iis motae sint seditiones, non tantum Romae, ¹⁾ sed in ceteris etiam Italiae partibus et in Sicilia. ²⁾ Huiusmodi seditio etiam anno 73 a. C. multorum periculorum magnique timoris et urbi et Italiae causa fuit. E ludo enim gladiatorio Lentuli cuiusdam Batiati ³⁾ aliquot eruperunt servi. Plutarchus narrat plures fugae consilium iniisse, sed consilio detecto paucos tantum fugam perficere potuisse. ⁴⁾ Ex carcere quum erupissent ar-

¹⁾ Liv. III, 15, 18; IV, 45.

²⁾ Liv. XXIII, 36; XXXIX, 29. Epit. 59. Cic. Verr. II, 4, 50; 5, 3; Oros. V, 9.

³⁾ Plut. Crass. 8. Liv. Epit. 95. Flor. III, 20.

⁴⁾ Plut. l.l.

mis gladiatoriiis et tumultuariis potiti sunt, et Capua urbe relicta locum petiverunt tutum et in monte consederunt Vesuvio. ¹⁾

Ducem sibi elegerunt Spartacum, qui fugae auctor fuerat cuique deinde adiuncti sunt Crixus et Oenomaus. ²⁾ Plures autem scriptores narrant statim tres fuisse duces; sed haud probabile est, parvum huncce numerum servorum tantos continuo sumsisse spiritus, ut putarent tribus sibi opus esse ducibus. Postea demum quum multi fugitivi se iis adiunxissent et numero admodum aucto certare auderent cum Romanis, pluribus indigebant ducibus; sed semper Spartacus videtur primas egisse partes. ³⁾ Hic natione Thrax antea stipendia meruerat in exercitu Romano, sed castra deseruerat. Postquam aliquamdiu vitam sustentaverat rapinis, captus est, poenae loco Romae venit et propter vires corporis in ludum gladiatorium missus est. ⁴⁾ Non autem corporis tantum viribus excellebat, sed ingenii etiam dotibus multos superabat. A Plutarcho dicitur supra conditionem prudens et modestus magisque ad Graecos mores compositus quam pro natione sua. ⁵⁾

¹⁾ Quot ab initio fuerint, inter historicos parum constat, quorum tamen nemo plures affert quam Plutarchus (Crass. l. l.), quo auctore fuerunt 78. Cf. Freinsh. ad Flori III, 20, 3.

²⁾ App. I, 116; Vell. Patere. II, 30.

³⁾ Plut. Crass. 8; App. l. l. Liv. Epit. 95; Flor. l. l.

⁴⁾ App. Flor. l. l. ibique Duk.

⁵⁾ Plut. l. l.

Servi primum Campaniam hic illic infestarunt. Ex Capua milites contra eos missi sunt; quos quum vicissent, arma sunt adepti militaria, quibus ornati sua abiecerunt gladiatoria et fustes. ¹⁾

Ad eos semel fortuna prospera usos multi, ut fit, undecunque confluerunt fugitivi et homines ingenui, qui sperabant praedam agendo sibi comparare opes; quibus omnibus territi et suis diffidentes viribus Capuae cives, a Romanis petiverunt auxilium. Adversus eos tamquam latrones quosdam abiectos ²⁾ missus est praetor C. Claudius Pulcher cum tribus circiter millibus militum tumultuariorum, qui quamprimum in Campaniam venerat, Vesuvii obsedit exitus servisque fugam praeclusit, ut fame vincerentur. ³⁾ Considerant enim illi in huius montis colle, qui unum tantum habebat exitum, ceterisque a partibus praecaltas rupes. Hinc autem evaserunt hac ratione. Multae in hoc colle erant labruscae, quarum palmites longos et firmos descendentes, scalas confecerunt plures, quae a colle dependentes terram attingere possent. His omnes descenderunt praeter unum, qui omnium arma a

¹⁾ Plut. l.l. 9.

²⁾ App. l.l.

³⁾ Plut. l.l. Liv. Epit. 95. Florus III, 20 ducem Romanum appellat Clodium *Glabrum*. Perperam. Non enim Clodio, sed Varinio, qui ab Appiano l.l. memoratur, cognomen fuit *Glabro*. Cf. Duk. ad Flor. l.l.

colle deiiciebat in terram et ultimus eadem, qua ceteri usi erant, via collem reliquit. Haec omnia latuerant Romanos, quos nihil tale expectantes de improvviso illi aggressi sunt et nulla opera vicerunt. Castris quoque Romanorum potiti sunt.¹⁾

Hac victoria reportata, spiritus sumserunt servi, et multi ex Italia meridionali pastores et bubulci, servi qui erant omnes, homines feroces et fortes Spartaci exercitum auxerunt. Quum igitur Publius Varinius Glaber cum duabus legionibus in Campaniam venerat, non amplius invenit servorum turbam in colle quodam latentem, sed castra hostium in aequo campo posita, et ipsos servos iusti exercitus instar armatos et ordinatos. Signis collatis Varinius saepius profligatus est, neque legati eius meliore usi sunt fortuna, et ipse praetor in tanto fuit periculo, ut lictores eius et equus caperentur.²⁾

Sed in tali omnium hominum colluvie non poterat non post res tam feliciter gestas oriri dissensio. Magna pro parte Galli fuisse dicuntur et Thraces, qui duces gentiles secuti exercitum diviserunt in duo castra, quo vires servorum deinde admodum diminutae sunt. Haec omnia videtur Spartacus praesensisse. Dicitur enim id mente agitasse ut, quoniam victoriis via ei ad Alpes pateret, unusquisque,

¹⁾ Plut. Flor. 11.

²⁾ Sall. fragm. Kritz. III, 77; Plut. Crass. App. 11.

Italia relicta, in suam abiret patriam.¹⁾ Fortuna autem prospera servos perdidit; nam victoria superbientes, non amplius id agebant, ut libertatem sibi vindicarent, sed id ipsum cogitabant, quomodo ulciscerentur Romanos.

Iam ad quadraginta amplius millia hominum auctus erat exercitus, et praeter urbes munitas tota pars meridionalis, quaeque occidentem spectat, servis patebat. Plures etiam urbes, Consentiam in Bruttio, Thurios et Megapontum in Lucania, Nolam et Nuceriam in Campania expugnaverant ibique nefaria ediderant facinora.²⁾ Summa deinde crudelitate ab utraque parte bellum gestum est. Romani ira et indignatione moti, quemcunque ex servis cepissent, cruci affigebant, et servi par pari reddentes multos Romanos bello captos iuebant inter se invicem gladiatoria edere munera circa rogam caesorum, multosque ducum manibus immolabant.³⁾ Magnus interea Romae senatum invaserat metus, et ut ad bellum gravissimum consules contra Spartacum missi sunt L. Gellius Poplicola et L. Cornelius Lentulus.⁴⁾ Hoc ipso tempore triginta circiter millia

¹⁾ Plut. l. l. App. I, 117.

²⁾ Flor. et Sull. l. l.

³⁾ App. et Flor. l. l.

⁴⁾ Plut. l. l. Romanis hoc bellum fuisse gravissimum apparet ex Cicerone, qui illud vocat *tetrum, periculosum* (de imp. Cn. Pomp. 11) *magnum atque vehementem* (Verr. II, 5, 2), *formidolosum* (in Pis. 24). Conf. omnino App. et Flor. l. l.

barbarorum Spartaci castra reliquerant et suis auspiciis, Crixo duce, in Apulia praedam agebant, dum ipse Spartacus septentrionem versus tendebat. Hos repente aggressus Gellius ad Garganum, Apuliae montem, fudit, et maiorem partem exercitus cum ipso duce interfecit. Oenomaus iam antea occiderat in pugna ad Vesuvium.¹⁾ Spartaco autem ad Alpes contendenti Lentulus viam praeclusit, Gellius a tergo eum urgebat; quem utrumque, seorsum pugna commissa, profligavit. Occurrit ei deinde apud Mutinam Cassius, proconsul Galliae Cis-Padanae cum decem millibus militum, quem tanta strage affecit, ut aegre fuga sibi consulere posset.²⁾ Haec victoria servos perdidit; nam, omisso Alpes transeundi consilio, Italiae divitiarum cupidine capti sunt, et Romam aggressuri meridiem versus profecti sunt; quod ut expeditiores facerent, omnes interfecerunt captivos et impedimenta, quibus carere possent, combusserunt. Consules, castris iunctis, in agro Piceno denuo Spartaco occurrerunt et, proelio commisso, magna clade rursus profligati sunt.³⁾ Iam legiones Romanae, ut antea Hannibalem timuerant, sic servos timebant et iis resistere non audebant. Pudor autem et ira patres ceperat omnes, qui tandem consules iusserunt a bello gerendo decedere, comitiaque haberi ad prae-

¹⁾ App. l.l. Plut. Cato Min. 8. Oros. V, 9.

²⁾ Plut. Crass. 9. App. l.l.

³⁾ App. l.l.

torem creandum, cui bellum illud traderetur, quod primum neglectum et contemptum iam tertio anno Italiam vastaret. ¹⁾ Sed tantus omnes incesserat timor, ut nemini huius belli imperium arrideret. ²⁾ Tandem Marcus Licinius Crassus, qui unus nomen professus erat, praetor creatus est.

Iam auspice Sulla ducis munere functus, post huius mortem neglecto Marte forum coluerat et operam dederat causis privatis et publicis, quo factum est, ut valde apud cives suos floreret non divitiis tantum, sed etiam auctoritate et gratia. ³⁾ Multis licet arte bellica cedens, peritissimus tamen erat belli dux, qui hoc tempore in Italia aderat. Pompeius enim et Metellus bellum gerebant in Hispania contra Sertorium, Marcus Lucullus in Thracia et Lucius Lucullus in Asia bellis erant intenti; neque periculum imminens nec provinciarum conditio sinebat hos a castris avocari imperatores.

Crasso igitur datae sunt sex legiones iisque adiunctae ambae, quibus usi erant Gellius et Lentulus. Praeterea multi eum secuti sunt nobiles, quod quidem probat, aequales de Crassi rerum bellicarum scientia eiusque virtute militari nequaquam desperasse. ⁴⁾

¹⁾ Sall. fragm. IV, 25; Plut. Crass. 10; App. I, 118.

²⁾ Plut. et App. II.

³⁾ Plut. II. App. II.

⁴⁾ App. II.

Hic, magnorum secutus imperatorum exemplum, disciplinam in castris restituere conatus est et diris trementes affecit poenis. Quum enim castra esset metatus, Spartacum exspectavit et legatum suum Mummium cum duabus legionibus hostes circumire et lacessere iussit, sed vetuit eum pugnam committere. Mummius autem non fuit dicto audiens. Signis collatis a Spartaco profligatus est eiusque milites, abiectis turpiter armis, fuga salutem quaesiverunt.

Legatum Crassus vehementer increpuit, milites autem, a quibus fuga erat orta, in decurias divisit, et decimum quemque virum sorte ducta securi percuti iussit. ¹⁾ Erat haec poena nequaquam nova, sed qua iamdudum non usi erant Romani, gravis eadem et dura, sed saluberrima; nam postquam omnes aliquamdiu metus tenuerat, pauci tantum poenas luebant toto adspiciente exercitu. ²⁾ Quae poena quantum tunc quoque profuerit, mox cognitum est; quum enim brevi post manum conseruissent cum parte quadam exercitus Spartacei, quae iusta reli-

¹⁾ Ita Plutarchus l. l. Appianus autem B. C. I, 118 narrat, Crassum duas legiones, quas a consulibus accepisset, castigasse propter clades antea acceptas. Idem eodem loco aliam affert famam: Crassum scil. omnes legiones hac poena affecisse et ad quatuor millia militum trucidasse. Sallust. fragm. IV, 27. *sorte ductos, ait, fusti necat.*

²⁾ Conf. Polybius VI, 38.

querat castra, eam ad internecionem profligarunt. Suis auxilio venit Spartacus, sed ipse etiam victus ad mare abiit et Lucaniam petivit. ¹⁾ Hic in freto invenit piratas Cilices, quibuscum egit de traiciendis copiis in Siciliam, sperans fore ut, parte exercitus in Siciliam missa, ibi bellum servile, oppressum quidem paucis annis ante sed nondum extinctum, facile suscicaret. Cilices autem eum deceperunt et sive auro corrupti a Romanis, sive horum timentes potestatem et vindictam, practio, de quo convenerant, accepto, clam profecti sunt. ²⁾

Tum Spartacus copias in Rheginorum peninsulam abduxit, ubi ei supervenit Crassus, qui, natura loci cognita, decrevit fugitivos muro in peninsula includere adeoque iis adimere facultatem commeatus sibi comparandi, ut fame vincerentur, si ea, quae ipsa regio ferebat, essent consumpta.

Magnum igitur Crassus opus aggressus est, quo simul etiam prohibuit, ne otium copiis noceret. Fossam enim ex mari ad mare duxit triginta septem millia quingentos passus longam, quindecim pedes latam totidemque altam, quam vallibus munivit, et murum extruxit magnum et firmum. Nivosa autem et obscura nocte Spartacus, postquam partem quandam fossae humo et arboribus replevit, inde eva-

¹⁾ Plut. et App. l.l.

²⁾ Plut. l.l. Verris in Spartaci consilio impediendo partes ullas fuisse, negat Cicero Verr. V. 2.

sit.¹⁾ Rursus ei via Romam patebat, et Crassus timens ne urbem aggrediretur, statim eum secutus est. Denuo autem dissensio orta est in castris servorum, et Galli et Germani ducibus Cannicio et Casto seorsum ab aliis castra metati sunt. In Lucania Crassus eos aggressus est, sed fugientibus auxilio fuit Spartacus.²⁾ Alio deinde loco, sub monte Calamarco, seorsum a ceteris consederunt. Ad eos ibi circumveniendos Crassus misit legatos suos C. Pomptinium et Q. Marcium Rufum, qui quum forte ab hostibus essent detecti, in summo fuissent periculo, nisi Crassus adveniens pugnam commisisset acerrimam, in qua multos interfecit hostes.

Post hanc cladem Spartacus ad montes Petelinos in Brutiis se recepit, valde vexatus a Quinto, Crassi legato, cuiusque quaestore Scropha, qui summa pertinacia eum urgebant. Tandem acie instructa Spartacus eos fugavit et parum aberrat, ut ipse quaestor caperetur. Servi propter hanc victoriam superbi a Spartaco postulabant, ut eos per Lucaniam contra Romanos duceret, ut manus cum iis consererent. Neque Crasso displicebat acie decernere; nam Pompeius iam ex Hispania redibat, quem multi Romani putabant contra servos esse mittendum, ut bello iam tamdiu tracto finis imponeretur.³⁾ Crassus igitur

¹⁾ Plut. 11.

²⁾ Plut. 11. 11.

³⁾ Plutarchus eodem loco narrat, hoc tempore Crassum poe-

metuens, ne Pompeius ipsi gloriam huius belli tantum non confecti praeberet, castris admovit castra.

Spartacus quoque ratus, facilius se parem fore uni copiarum duci quam duobus virium coniunctarum imperatoribus, ante Pompeii adventum pugnare auebat. Itaque quum milites Romani castra sua munitarent et fossam ducerent, servi eos infestabant, et ex levibus deinde proeliis orta est pugna gravissima, in qua Spartacus fortia facta praestitit.

Ipsa intelligens iam de libertate et vita fore certamen, ante proelium initum gladio stricto equum suum confodit, ut fugae nullus esset locus. Inter primos pugnans multorum edidit stragem, et tandem femore tragula icto in genu subsedit et clipeo obiecto hostium repressit impetum, donec fortissime dimicans, tamquam imperator, occisus est. ¹⁾

Duce amisso, ceteri magna pro parte caesi sunt, alii ad montes fugientes per breve temporis spatium pugnare pergebant, donec aut trucidati aut capti sunt, quorum sex millia iuxta viam Capua Romam

nituisse quod prius senatui scripsisset, Pompeium ex Hispania et Lucullum ex Thracia arcessendos esse ad bellum conficiendum. Alii scriptores nihil de his literis narrant, et invidia, quae iam vivente Sulla orta erat inter Crassum et Pompeium, prohibet, quominus huic narrationi fidem habeamus. Ipse etiam Plutarchus in Pomp. 21. diversa affert dicens: *ἠὲ κμάζοντι τῷ δουλικῷ πολέμῳ κατὰ τύχην φερόμενος.*"

¹⁾ App. 1.1. Flor. 1.1.

ducentem crucibus affixi sunt. Paucis ex tanto numero superstitibus, qui fuga Alpes petebant, Pompeius occurrit, eosque delevit; sed gloria belli servilis confecti summo iure Crasso tribuitur, qui hoc bello boni imperatoris munere functus est. ¹⁾

¹⁾ App. I, 120. Flor. III, 20.

C A P U T III.

CRASSI IN REBUS PUBLICIS PARTES A BELLO SERVILI
USQUE AD BELLUM PARTHICUM.

Accedimus ad ea tempora, quae bellum servile secuta sunt. Aetum, quo Crassus in rebus publicis cum Pompeio et Caesare coniunctus erat, vinculum postulat, ut de illorum etiam in republica partibus exponamus.

Constat, Sulla mortuo, statim contentiones renovatas esse inter nobiles et populares. Alter enim consul Lepidus, Marianis partibus addictus, promittebat se agros, quos Sulla, Italiae incolis ademptos, veteranis dederat, pristinis redditurum esse possessoribus, eosque, quos senatus hostes iudicaverat patriae, revocare parabat.

Cui quum fortiter resisteret collega Catulus, uterque consul factionem nactus est in urbe, et iam in eo erat, ut armis decernerent, quum senatus iureiurando eos obstrinxit, ne contentiones bello di-

rimerent. Magistratu autem vix deposito, Lepidus Galliam Trans-Alpinam provinciam nactus, in Etruriam abiit studioseque copias auxit, ut dominationem restitueret populi, senatusque everteret potestatem. Quod ubi cognoverat senatus, eum redire iussit, quo facto Lepidus copias ad urbem duxit, Sullae Mariique tempora renovandi cupidus; sed Pompeius contra Lepidi socios in Galliam Cis-Alpinam missus est, et ipse Catulus, senatus propugnator, Lepido obviam ivit. Non procul a Campo Martio armis certatum est, et post acerrimam pugnam Lepidus cessit adversario. Post hanc autem cladem in Etruriam abiit brevique post Italiam relinquere coactus est et in Sardinia diem obiit supremum.¹⁾

Neque tamen morte Lepidi hostes nobilium evanuerunt.

In Hispania iam Sullae tempore Sertorius arma moverat. Huic multi deinceps Romani se iunxerunt, et tota fere Hispania ad arma vocata vires eius admodum augebat. Post mortem Lepidi Perperna Sertorio adduxit exercitus reliquias, et ipse apud eum munere legati functus est.²⁾

Metellus parum feliciter contra Sertorium bellum gerebat, qui iam meditabatur in Italiam proficisci ibique bellum movere. Senatus igitur turbas denuo veritus, novas copias et Pompeium in Hispaniam

¹⁾ App. B. C. I, 107. Liv. Epit. 90. Flor. III, 23.

²⁾ App. I. I.

misit, qui aliquamdiu bellum ibi anceps gessit, neque ante, quam Sertorius proditione Perpernae ceciderat, bello finem imposuit. ¹⁾

In Italiam redux Pompeius mox reliquit senatum et populi secutus est partes.

Libenter Pompeius a populo exceptus est, eiusque vires admodum auxit copiis suis, quas nondum dimiserat imperator, causatus se exspectare adventum Metelli ad triumphum agendum. ²⁾

Nullus hoc tempore in Italia exercitus erat, quo senatus suam contra Pompeium et populum tueri potuisset auctoritatem, nisi copiae Crassi victrices ex bello servili redeuntes; sed hae quoque populi augebant robur.

Crassus enim, quem sua tantum utilitas Sullae nobiliumque partibus devinxerat, tunc sibi magis conducere putabat ab his transire ad partes Pompeii et populi: nec populo erat ingratum duos pro uno accipere duces, quorum alter posset impedire quominus alter nimios sumeret spiritus: nam non deerat metus, ne Pompeius Sullana sequeretur vestigia. ³⁾

Simul autem cum horum ducum favore populus sibi prorsus ademerat potestatem ulciscendi caedes et rapinas Sullanas. Quis enim maiores, quam Pompeius, Marianis paraverat strages? Et Crassus ex

¹⁾ Vell. Pat. II, 30.

²⁾ App. l.l. 121.

³⁾ Plut. Pomp. 21.

proscriptorum bonis maiorem partem divitiarum corraserat. In hac rerum conditione ambo anno 70 consulatum petebant, Crassus, ex lege, praetorius, Pompeius, contra legem Corneliam, ne quaestorius quidem. ¹⁾

Pompeius omnibus fere suffragiis creatus est et Crassus sibi parum fidens, Pompeii imploravit auctoritatem et auxilium, omnis oblitus invidiae, quae iam antea inter eos orta rursus excitata et aucta erat, quum Pompeius sibi tribuisset gloriam confecti belli servilis. ²⁾ Pompeius tamen Crasso gratificandi cupidus erat, et coram populo professus est non magis sibi gaudio fore, si Crassus, quam si ipse consul esset creatus. ³⁾

Iam consul designatus de Hispania Pompeius triumphavit, et Crasso ovationis honor datus est, eique a senatu concessum est, ut lauro pro myrto uteretur. ⁴⁾ In consulatu Pompeius valde auxit populi potestatem, tribuniciam potestatem, cuius non nisi umbram nomenque reliquerat Sulla, restituit, pro viribus favebat legi Aurelii Cottae de iudiciis, eaque ut rata fieret effecit. ⁵⁾ Hac lege iudicia, quae tunc penes solos senatores erant, communicata etiam sunt

¹⁾ App. l. l. 121. Liv. Epit. 97.

²⁾ Plut. Pomp. 21.

³⁾ Plut. Pomp. 22. Crass. 12.

⁴⁾ Plut. Crass. 9. Aul. Gell. Noct. Att. V, 6, 23.

⁵⁾ Vell. Patere. II, 30.

cum equitibus et tribunis aerariis. ¹⁾ In his omnibus rerum publicarum mutationibus, quae populo erant gratissimae, Crassus, Pompeio non adversatus est; mox autem concordia cessit invidiae pristinae. Quoniam sibi invicem parum fidebant, alter exercitum suum prius dimittere recusabat, quam suas copias dimisisset alter. Simultate orta, Crassus auctoritatem suam firmare conatus est senatui favendo, et simul populum multis largitionibus sibi amicum reddere studebat, quod quidem minus ei cessit; nam Pompeius restituendo tribunatu plebis sibi gratiam comparaverat firmiorem, quam ut Crassus largiendo perpetuo populum sibi posset devincire. ²⁾

Iam omnia eadem rursus erant, qua ante Sullam fuerant, conditione. Omnia Sullae instituta abolita erant, ambo potentissimi in civitate viri castra ante portas Romae habebant et inter se erant discordes; metuendum omnino videbatur ne tempora redirent Marii et Sullae. ³⁾

Et profecto si hoc tempore Pompeius satis habuisset animi ad audax perpetrandum facinus, Sullanam adipisci potuerat potestatem. Senatus enim parum habebat auctoritatis. Populus eum admirabatur et amabat. Ipse exercitum habebat victorem multisque comprobatum proeliis; neque ei opponi

¹⁾ Plut. Pomp. 22. Liv. Epit. 97.

²⁾ Plut. Crass. 12. Pomp. 22. App. l.l. 121.

³⁾ App. l.l.

alius poterat exercitus nisi Crassi, quem facile non-nihil concedendo et adulando sibi adiunxisset. Sed nondum reipublicae finis aderat.

Tempore magistratus fere exacto, consules in foro a populo enixe rogati sunt, ut in gratiam redirent. Pompeius siluit, Crassus autem surgens eique manum porrigens *„non existimo,”* inquit, *„Quirites, abiecte me parumque digne agere, quod renovandae cum Pompeio benevolentiae initium facio, quum vos imberbem adhuc eum Magni cognomine ornaveritis, eique nondum in senatum adscito triumphum decreveritis.”*

Neque diutius Pompeius restitit et, amicitia restituta, copias dimiserunt. ¹⁾

Magistratu deinde deposito et recusata provincia ambo privati Romae degerunt: Crassus ex vetere instituto forum colebat summo studio causas agens, Pompeius autem foro et senatu abstinebat et raro nec nisi summo splendore et magna comitante caetera amicorum in publicum prodibat. ²⁾

Post consulatum Pompeius senatui admodum erat invisus, sed apud populum magno vigeat favore. Quum igitur aliquanto post Roma fame premeretur, quod piratae totum tenerent mare Mediterraneum frumentique advectionem plane intercluderent, populus summo gaudio excepit legem Gabiniam. Gabinus nempe tribunus plebis rogationem tulerat, ut Pom-

¹⁾ Plut. Crass. 12. Pomp. 23. App. l.l. 121.

²⁾ Plut. Pomp. l.l.

peio bellum mandaretur contra piratas, eique totius orae maritimae daretur imperium, essetque ei aequa in omnibus provinciis cum proconsulibus potestas usque ad quinquagesimum milliarium a mari; porro, ut aerarii penes eum esset arbitrium, ut quindecim crearet legatos et pro lubitu conscriberet classarios navesque compararet longas. Licet similis paene potestas ante septem annos ab ipso senatu Antonio praetori contra piratas data esset, tantas tamen lex Gabinia in senatu turbas movit, ut patres a Gabinio manus vix abstinerent. ¹⁾

Tumultu inde orto, populus Gabinio timens et patribus iratus curiam irrupit neque caede abstinisset, nisi omnes effugissent furorem populi, praeter consulem Pisonem, quem quidem Gabinius, ne legem suam nece consulis inquinaret, manibus populi eripuit.

Deinde senatus palam legi adversari desiit studuitque more maiorum tribunos plebis ad suam perducere voluntatem adeoque Gabinii impedire conatus. ²⁾

Sed omnia irrita erant. Populi tandem voluntas vicit et lex perlata est, tantumque omnes Pompeio confidebant, ut statim pretium frumenti diminuere-tur, et pro summa penuria magna copia adesse videretur. ³⁾

¹⁾ Dio Cass. XXXVI, 6. 20. Vell. Pat. II, 31.

²⁾ Plut. Pomp. 25. Dio Cass. l.l. 6 seqq.

³⁾ Plut. Pomp. 26. Cic. de imp. Cn. Pomp. 15.

Neque Pompeius civium fefellit expectationem. Fortiter enim et prudenter officio functus est, et intra tres menses mare tutum reddidit summamque comparavit frumenti abundantiam.

Hoc tempore Pompeius aura populari maxime florebat, et patres timentes iram populi non facile Pompeio adversabantur. ¹⁾

Quum interea Lucullus, qui feliciter bellum cum Mithridate gererat, multis invisus esse coepisset, anno 66 Manilius tribunus plebis rogationem tulit, ut provincia Luculli cum Bithynia, quam hoc tempore Glabrio tenebat, uti etiam omnes legiones in Asia et tota classis Pompeio darentur, eique absentis bellum cum Mithridate et Trigrane perficiendum traderetur. ²⁾

Hae lex magis etiam quam Gabinia patribus displicuit, sed nec Luculli amici neque alii senatores, etsi valde timentes magnam Pompeii potestatem, contra legem verba facere ausi sunt. Catulus tantum et Hortensius in concione legem dissuaserunt, sed frustra. ³⁾

Lex perlata est postquam etiam Caesars in Pompeii gratiam locutus erat et Cicero ad legem suadendam pulchram illam de imperio Cn. Pompeii habuerat orationem.

¹⁾ Dio Cass. XXXVI, 20.

²⁾ Plut. Pomp. 30. App. de bello Mithr. 97.
Dio Cass. XXXVI, 25. Liv. Epit. 100. Vell. Patere. II, 33.

³⁾ Cic. de imp. Cn. Pomp. 17. Plut. Pomp. 30.

Licet Caesar et Cicero eidem faverent legi, variae tamen utrique huius rei erant causae. Cicero populum sibi conciliare conabatur, et Pompeio volebat placere; quo quidem studio ductus eius gloriam in oratione sua tantopere auxit, ut Luculli et Crassi, summorum iuxta Pompeium in civitate virorum, iustam diminueret laudem.¹⁾

Caesari autem non magis patriae commodum obversatum est, neque etiam Pompeii amicitia favoris sui causa fuit, sed hic populi tantum venabatur gratiam, ut suo tempore altiore in republica locum occuparet, et putabat sapienter, id sibi conducere, ut, si semel via strata esset aura populari accipiendi summum imperium, ipse eodem modo ad maximam pervenire posset dignitatem. Idem etiam sperabat fore ut si tanta gloria in unum conferretur hominem, mox satietas Pompeii populum esset captura, qua semel excitata prudenter usus ipse crescere posset.²⁾

Et tempus docuit, non sine causa Caesarem hoc iudicasse. Brevi enim post illam legem populus timere coepit, ne Pompeii potestas sibi ipsi fieret periculosa, praesertim quum Pompeius senatui favere eiusque auctoritatem restituere coepisset, quo quidem fieri non poterat quin vires frangerentur populi.³⁾

¹⁾ Cic. de imp. Cn. Pomp. 10.

²⁾ Dio Cass. XXXVI, 26.

³⁾ Sall. Catil. 19 et 39. Cic. de lege agr. II, 17.

Hoc rerum statu Caesar et Crassus, homines dissimillimi, hic ditissimus omnium Romanorum, ille aere alieno obrutus, alter Sullae quondam amicus, alter eodem auctore patriae exsul, simillimi tamen iidem potentiae cupiditate, mutuo auxilio potestatem et populi gratiam acquirere studebant.

Quum igitur Caesar anno 65 aedilitatem esset nactus, mirum in modum populum sibi devinxit; nam magnificos edidit ludos, partim cum collega partim solus, quo factum est, ut ipse unice acciperet omnium ludorum gratiam et populus Bibuli sumtus flocci penderet.

Marii etiam imaginem victoriae Cimbricae insignibus ornatam, a Sulla olim deiectam, nocturno tempore in capitolio clam restituit, quam ubi populus mane conspexerat auro et arte insignem, praegaudio lacrymas fudit et clamavit, Caesarem praee omnibus dignum esse Marii propinquitate.¹⁾ Senatus graviter ferebat hanc Caesaris audaciam et Marii memoriam instauratam honoresque lege abolitos renovatos. Nobiles contendebant, Caesarem iam palam tyrannidem moliri, eumque mature explorare hominum animos, an dominationem volentes acciperent. De hac autem accusatione se senatui purgavit eoque non tantum populi spiritus auxit, sed etiam senatui sui iniecit metum.²⁾

¹⁾ Plut. Caes. 6. Suet. Caes. 10.

²⁾ Plut. l. l.

Eodem anno Crassus censor erat, sed nihil in censura peractum est; nam neque senatus lectio neque equitum probatio fuit neque census populi. Trans-Padanis ille civitatem dare et Aegyptum, Ptolemaei, quod ferebatur, testamento Populo Romano relictam, civitati stipendiariam reddere voluit, cui consilio collega Catulus acriter restitisse dicitur; unde controversia orta, ambo magistratu abdicarunt.¹⁾

Ut Crassus, sic etiam Caesar cogitabat de Aegypto.

Per tribunos plebis tentavit, ut sibi daretur provincia Aegyptus et mandatum restituendi regem Ptolemaicum, quem senatus socium et amicum Populi Romani nominaverat, Alexandrini autem regno expulerant.²⁾

Quae si Crasso et Caesari ex animi sententia cessissent, Caesar accepisset imperium extraordinarium, et iam tunc iis licuisset magnam acquirere potestatem, quam Pompeio et senatui opponerent; sed nobilium potestas prohibuit, ne rogatio Caesaris nomine lata populo grata esset.

Alia igitur via Caesari et Crasso ineunda erat ad ea assequenda, quae frustra a nobilibus accipere conati erant. Repulsi ab iis, qui reipublicae praecurrant, secuti sunt partes eorum, qui rerum novarum cupiditate civitatem prorsus evertere volebant; non autem ita in has abierunt partes, ut eodem ferrentur vastandi

¹⁾ Plut. Crass. 13. Dio Cass. XXXVII, 9.

²⁾ Suet. Caes. 11.

omniaque radicitus evertendi furore, sed putantes se facile tempestatem coërcituros et principes evasuros esse civitatis, si modo nobilium esset sublatum regimen. Quod si vero cum compendio suo exsequi vellent, necesse erat, ut non ipsi palam agerent, sed per alium quendam eam provocarent conditionem, quae ipsos voti compotes redderet.

Et aderat homo audacissimus, quo facile omnium turbarum auctore uti possent, L. Sergius Catilina.

Hic enim cum sociis suis laetiora sibi sperabat tempora, Sullanorum similia, quibus impune opes et divitias corradere possent, si evertissent rerum statum. Sed haec coniuratio festinatione et audacia Catilinae, sperato caruit exitu; praesertim etiam quod optimates, quum intellexissent, de sua vita et nece agi, omnes intenderant vires ad res novas prohibendas. Populus etiam eiusque praesertim ditiores adversati sunt consilio Catilinae huiusque sociorum, timentes bonorum suorum rapinas et domuum incendia. Huc accedebat quod permultis gloria Pompeii, in Asia denuo efflorescens, carior fuit, quam quae amore Caesaris et Crassi largitione posset obscurari.

Sed paulo accuratius hac de re agendum est.

Anno 66 consules designati erant P. Autronius, et P. Sulla, qui ambitus damnati consulatum non inierunt.¹⁾ Contra L. Manlius Torquatus et L. Aurelius Cotta tunc subrogati, hoc munere a Kalendis

¹⁾ Sall. Catil. 18. Suet. Caes. 9.

Ianuariis anni 65 functi sunt. In hos Catilina, cui ex provincia Africa reduci accusatio repetundarum imminebat et via ad consulatum ardua fore videbatur, vim parabat. Nam caede sibi opus esse censebat ad emergendum e difficultatibus, quibus cinctus erat. ¹⁾

Huius perpetrandae causa diem Kalendas Ianuarias, locum vero capitolium elegit, quo tunc novi consules ad vota pro reipublicae salute suscipienda sacraque facienda se conferre solebant. Consilio cum paucis communicato convenit, ut ipse et Autronius, consulibus occisis, horum munere potirentur. Sed hac spe consulum, qui insidias compererant, vigilantia destituti, consilium caedis non tantum in Nonas Februarias transtulerunt, verum etiam ad maximam retulerunt senatorum partem. Tunc autem reipublicae saluti fuit ipsius Catilinae festinatio, signum sociis ante dantis quam frequentes ipsi convenierant. Alia de hac coniuratione Suetonius ex variis affert scriptoribus, sed ita, ut haec ipsi suspecta videantur.

Nam convenisse inter coniuratos narrat, ut principio anni Caesar adoriendi senatus signum daret,

¹⁾ Dio Cass. XXXVI. 27. Cic. pro Sulla 5. Sall. Cat. 18.

Hic Sall. locus unus in paucis difficilis interpretes valde torsit: quorum nemo mihi plerasque difficultates probabilius expedivisse videtur, quam Rud. Dietsch in ed. Sall. maiore I, pag. 54; cuius etiam constantiam probo in pristina sententia tuenda de delendis verbis: *quod intra legitimas dies profiteri nequiverit.*

quod tamen ab eo propter Crassi vel metuentis vel poenitentiae ducti absentiam datum non fuerit. Praeterea placuisse tradit, ut, caede perpetrata, Crassus fieret dictator, a quo Caesar magister equitum legeretur, constitutoque ad arbitrium republica, Sullae et Autronio consulatus restitueretur.¹⁾ Sed in his ut alia sunt minus probabilia, ita quae de Caesare feruntur, Crassi dictatoris magistro equitum futuro, Caesarem haud noverit oportet qui haec ab ipsius indole et consiliis non admodum aliena esse videat.

Erat inter Catilinae socios iuvenis quidam Cneus Piso, summae audaciae, Caesari haud ignotus inimicissimus Pompeio et hanc ob rem acceptus Crasso, qui, ut Piso pro praetore in Hispaniam mitteretur, summo nitebatur studio. Sperabant enim Caesar et Crassus fore, ut in Hispania sibi nonnihil virium compararent contra Pompeium, quod quominus in Aegypto facerent, senatus prohibuerat. Neque senatus invitus Pisonem Roma dimittebat: nam eum a republica procul esse volebat, quia boni complures praesidium in eo putabant, et fortasse senatus non alienus erat a spe Pisonem nobilium partes esse secuturum, si res suas dirutas in Hispania restituisset. Piso autem deinde ab Hispanis interfectus, simul et senatui metum et Pompeii adversariis spem ademitt.²⁾

¹⁾ Suet. Caes. 9.

²⁾ Sall. Catil. 19.

Postquam Catilina repetundarum a iudicibus largitione corruptis absolutus est, anno 64 consulatum petiit. In candidatis erant Cicero et Antonius. Cicero populo gratus sed nobilibus minime acceptus erat,¹⁾ eiusque competitoribus Catilinae et Antonio summo opere favebant Crassus et Caesar; attamen Cicero vicit et Antonium nactus est collegam, quem postea pactione provinciæ movit, ne contra rempublicam sentiret.²⁾

Catilinae autem proximo anno iterum repulsi conditio vix tolerabilis erat. Partim vita dissoluta, partim largitione in corrumpendis iudicibus et in ambiendo rem familiarem perdiderat; et repulsæ magis magisque incendebant virum audacissimum, qui quum iam neque opibus nec malis artibus summam adipisci posset dignitatem, coniurationem illam iniiit, quæ patriæ minabatur interitum, sed salva patria eo inserviit, ut Ciceronis consulatui aeternam pararet gloriam. Huius coniurationis multi nobiles et ignobiles clam et palam erant socii, neque etiam Caesar et Crassus eam ignorarunt.³⁾

Iam anno 64 innotuerat, quanta esset inter Catilinam et Caesarem necessitudo, quum auctore maxime Caesare condemnati erant multi eorum, qui Sullae tempore Marianos trucidaverant, ipse autem Ca-

1) Cic. Epist. ad Att. I, 2.

2) Ascon. argum. in Cic. Or. in tog. cand. pag. 83 ed. Orell. Sall. Catil. 26.

3) Sall. Catil. 17. App. B. C. II, 6.

tilina, omnium carnificum Sullanorum atrocissimus, absolutus erat.¹⁾

Multa etiam adsunt indicia et rerum conditio suadet ut putemus, Caesarem et Crassum conscios fuisse huius coniurationis. Coniurati enim perniciem parabant nobilibus, senatui et Pompeio, quo nihil gratius Caesari et Crasso accidere poterat.

Coniuratione detecta, quum Cicero in senatu sententiam rogasset de poena eorum qui capti erant et confessi, et Caesar dixisset sibi videri supplicio mortis in eos non esse utendum, Cato palam eum accusavit: „*sin in tanto,*” inquit, „*omnium metu solus Caesar non timet, eo magis refert, me mihi atque vobis timere.*”²⁾

Senatu deinde demisso, equites Romani, qui ante curiam custodias agebant, quibusque cura urbis erat mandata, nulli infestiores erant quam Caesari, eique stricto gladio minabantur et trucidassent eum, nisi servatus esset a Curione equite Romano.³⁾

Catulus etiam et Piso, qui Caesari erant infestissimi propter res privatas, Ciceroni persuadere conati sunt, ut Caesarem quoque accusaret, quem postea reprehenderunt, quod Caesarem non accusavisset, quum ei licuisset propter coniurationem; et profecto,

¹⁾ Ascon. in Cic. Or. in tog. cand. pag. 84. Dio Cass. XXXVII, 10.

¹⁾ Plut. Caes. 6. et Cic. 21. Sall. Catil. 52.

²⁾ Plut. Caes. 8. Sall. Catil. 49.

si nulla in Caesarem iusta fuisset suspicio, non tanta orta esset invidia in virum populo carum. ¹⁾

Neque minora indicia coarguunt Crassum. Hic quidem litteras de coniuratione sibi delatas Cicero noctu tradidit; quod sane haud tenue erat culpae indicium; quid enim praeter studium omni vacandi suspicione, Crassum impellere potuit ad officium praestandum consuli, qui brevi ante gloriae suae detrectatorem se praestiterat. ²⁾

L. etiam Tarquinius ex itinere ad Catilinam retractus et in senatu interrogatus, accepta fide publica, dixit: *„se ad Catilinam missum esse a Crasso, qui Catilinae nunciaret, ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur.“*

Quod ubi audiverant senatores, alii, ut Sallustius pergit, rem incredibilem rati, alii, tametsi verum existimabant, sentientes tamen tantam vim hominis hoc tempore potius esse leniendam quam irritandam, plerique ex negotiis privatis Crasso obnoxii, conclamarunt indicem esse falsum et postularunt, ut de ea re referretur; quo facto frequens senatus decrevit: Tarquini indicium falsum videri eumque in vinculis retinendum, neque amplius in-

¹⁾ Plut. Caes. 7. et Cic. 20. Sall. 11.

²⁾ Plut. Cic. 15. Crass. 13. Cic. de imp. Cn. Pomp. 10.

dicandi potestatem faciendam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus.¹⁾

Haec indicia si eum temporum ratione et cum Crassi Caesarisque in republica conditione horumque in Pompeium odio coniungimus: si porro ex ipsius Ciceronis verbis apparet non omnia eum, quae ipsi innotuerant de Catilinae sociis, evulgasse:²⁾ si tandem eius in condemnandis coniuratis haesitationem recordamur, unde facile intelligatur, cur duumvirorum in civitate potentissimorum, quos tantum non omnes aut timebant, aut diligebant, accusationem oppresserit: his igitur omnibus perpensis, haud scio an statuere nos oporteat Caesarem et Crassum non fuisse alienos a coniuratione Catilinae, quocum etiam pristina eorum societas omni dubio maior est.³⁾

Postquam igitur Catilinae socii capitis erant damnati et poenas dederant sceleris, auctoritass enatus rursus magna erat in urbe, etsi populi potestas minime erat spernenda. Quum enim paucis diebus post condemnatos coniuratos Caesar in senatum venisset ad diluendam coniurationis suspicionem et senatus solito diutius consedisset, populus timere coepit, ne periculum a patribus Caesari immineret, et tu-

¹⁾ Sall. Catil. 48. Plut. Crass. 13. Dio Cass. XXXVII, 35.

²⁾ Cic. Catil. IV, 1.

³⁾ Mommsen, Röm. Gesch. III, 166 seqq. ed. tert. et Wartmann, Leben des Cato von Utica, 10.

multo orto curiam circumstans, postulavit ut Caesar dmitteretur. Populum ut placaret irritatam simulque Caesari praeiperet favorem popularem, Cato senatui persuasit ut menstrua inter proletarios fieret frumenti distributio. ¹⁾

Tam adco senatus dignitatem suam et sensum decori amiserat, ut iisdem uteretur artibus ad gratiam populi captandam, quas tam diu et tam acriter reprehenderat in iis, qui frumentum et agros dividendo populo gratificari voluerant. Sed multum aberat, ut senatus speratam iniret beneficii gratiam et favorem populi Caesari adimere sibi que comparare posset.

Senatus enim beneficii loco largiebatur, quum omnes homines, qui gratiam captabant popularem, frumentum et agros postularent tanquam iure populo debitos, itaque hic non grates agebat largitoribus sed iuris sui defensoribus.

Caesar adhuc valebat potestate, quamquam vix accusationem coniurationis effugerat, ex quo tamen periculo magnum perceperat fructum. Intellexerat enim, se nimis avide propositum esse persecutum sibi que maiore prudentia et graviore socio opus esse, si impetrare vellet ea, quae concupiscebat.

Crassus hoc tempore in senatu aliqua pollebat auctoritate, sed quum Caesar a senatu nihil sibi speraret, parum ei prodesse poterat. Alio igitur socio Caesar indigebat, et brevi post in Pompeio

¹⁾ Plut. Caes. 8. Cato 26.

invenit adiutorem, quo meliorem ne sperare quidem potuerat.

Postquam anno 63 Metellus Pius castra Pompeii reliquit et ornatus tribunatu plebis id egit, ut Pompeius ad civitatem placandam revocaretur, Caesar pro viribus eum adjuvit. Vicit tamen senatus et Caesari administrationem civitatis ademit.

Neque vero populus tam facile ferebat contumeliam, qua senatus affecerat defensorem suum et amicum. Iam post paucos dies sponte confluit et Caesari suam in munere recuperando operam pollicitus est. Caesar vero prudenter iram populi compercuit, quod, quidem senatui tam gratum fuit adeoque extra omnium expectationem, ut ultro eum in integrum restitueret. ¹⁾

Pompeius tandem ubi quinque annos abfuit et hostibus pernicem, amicis vero in Asia quietem attulit, in patriam redire parabat. Quod quum Romae cognitum esset, omnes cepit timor, ne Pompeius copiis Romam adductis rerum potiretur sibi bique pararet tyrannidem. ²⁾

Neque timoris causae deérant. Pompeius enim magnum habebat exercitum sibi bique plane deditum, et in Asia multas sibi divitias et fortes comparaverat amicos. Romae autem hoc tempore senatus et populus non erant coniuncti; senatui deérat dux et

¹⁾ Dio Cass. XXXVII, 43. Plut. Cato 26 et 27. Suet. Caes. 16.

²⁾ Dio Cass. I. I., 44. Plut. Pomp. 43.

Caesaris, qui multum apud populum valebat, non intererat coniungere populum cum patribus. Crassus in senatu nonnihil quidem auctoritatis habebat, sed non is erat qui ducem se praeberet factionis, neque alii Pompeii in senatu obtrectatores in certamine cum tanto imperatore patribus praesse poterant. Odium quidem in Pompeium pungebat Crassum et mox eum videbimus Caesaris ambire amicitiam, ut Pompeio resistere posset, donec tandem ambitionis avaritiaeque causa, omnium oblitus iniuriarum, cum Pompeio in gratiam rediit magno reipublicae damno.

Interea Pompeius Brundisium advenerat et statim exercitu convocato militibus gratias egit omnesque rogatos, ut triumphi die adessent, domum dimisit. Tale quid nemo expectaverat omnesque stupebant. Summa admiratio tanti viri ex tanto bello tanquam ex itinere redeuntis omnes Italiae incolas tenebat. Imperatorem Romam tendentem multarum Italiae urbium cives tanto comitati sunt numero, ut, si quid in patriam molitus esset, nullo ipsi opus fuisset exercitu. Sed non diu Pompeius magnam illam auctoritatem servare potuit. Quum enim exercitum dimisisset, senatus iterum spiritus sumpsit et ipse Pompeius, qui modo totam patriam metu implere potuerat, brevi post apud omnes frigebat. ¹⁾

A senatu petebat, ut patres rata haberent ea,

¹⁾ Cic. ad Att. 1, 14.

quae in Asia arbitrio suo fecerat, agrosque decernerent veteranis. Admodum advérsarii obstabant Lucullus, Metellus Creticus, Metellus Celer, cuius sororem Muciam Pompeius repudiaverat, Cato et Crassus, qui brevi ante Pompeii potestatem adeo timuerat, ut Italiam relinquere voluisset. Hi omnes aliique multi eo rem perduxerunt, ut Pompeius nullo modo voti fieret compos et cogereur triumphum agere, antequam senatus eius in Asia instituta approbaverat. ¹⁾

Procul dubio tamen a populo impetrasset haec omnia, si senatus partes reliquisset, neque mox ingenti illa rebus politicis bene et prudenter utendi imperitia populum a se abalienasset. Summa enim ope nitebatur, ut in annum sequentem consul crearetur Afranius homo pessimus omnibusque aequè ingratus. ²⁾

Neque in ea re perficienda gratia et auctoritate usus est, sed auro tantum ambitum exercebat. ³⁾

Caesar interea, postquam anno 62 praeturam gessit, summa festinatione in Hispaniam abire parabat. Eo autem profecturum creditores propter ingens, quod in aedilitate praesertim contraxerat, aes alienum graviter urgebant; quos quum placare non posset, ad

¹⁾ Plut. passim in vitis Pomp. Cat. et Luc. Dio Cass. XXXVII, 49. Vell. Pat. II, 40.

²⁾ Dio Cass. l.l.

³⁾ Cic. ad Att. 1, 16. Plut. in vita 44.

Crassum confugit, qui Caesarem sibi amicum optabat, ut huius potestate contra inimicum suum Pompeium uti posset. Crassus creditores placavit spondendo se Caesaris aes alienum esse soluturum, itaque Caesar in provinciam abiit. ¹⁾

Ibi bellum gessit cum Lusitanis aliisque populis, qui nondum Romanis parebant. Ad oceanum usque victor penetravit, res internas Hispaniae bene constituit et populos inter se rixantes conciliavit. His omnibus magnam adeptus est gloriam et a militibus nomine imperatoris ornatus est. Postquam sibi tantas paravit opes, ut aes alienum reddere posset, Romam adire instituit consulatum petiturus. Quum iam dies comitalis appropinquaret, celeriter, ne expectato quidem successore, ad triumphum simul consulatumque consequendum provincia decessit.

Quum autem triumphum petentibus urbem intrare non liceret, et hoc tempore ii, qui consulatum ambibant, in urbe adesse deberent, rogavit senatum, ut sibi concederetur absentem per amicos petere consulatum, quod quum senatus auctore maxime Catone ei negasset, coactus est triumphum omittere ut consulatum adipisci posset. ²⁾

¹⁾ Plut. Caes. 11. App. B. C. II, 8. Suet. Caes. 18.

²⁾ Plut. in vita 12 et 13. App. 1.1. Dio Cass. 1.1. 54. Suet. 1.1.

Quaenam autem lex absentes creari vetuerit et quo anno haec lata sit, non constat. Antea multi absentes creati sunt, et Pompeius etiam et Crassus imperio adhuc ornati consulatum acceperunt.

Ut primum in urbem venit, callide consilia sua persecutus est. Statim perspexit, quantum suis serviret commodis, si Pompeium et Crassum sibi devincire posset. Illi adhuc inter se dissentiebant alteriusque conatus alter compertos reprimebat. Quae causa Caesari fuit utriusque amicitiam expetendi, quippe iure arbitranti, se alterum habiturum esse adversarium si alterum sibi adiunxisset, omninoque plus sibi oriturum esse incommodi ex alterius odio, quam ex dissentientis amicitia utilitatis. Hoc secum reputans id egit, ut ambos reconciliaret, quo facto utriusque in ambiendo uti posset auctoritate.¹⁾

Neque hoc ipsi difficile fuit; nam sua utrumque causa movebat.

Pompeium sua movit nonnihil imminuta potentia; praeterea timebat ille Crassi auctoritatem semper florentem et Caesaris potestatem, quae quotidie crescebat. Sperabat igitur fore, ut, adiuvantibus Caesare et Crasso, pristinum in civitate locum reciperaret. Crassus autem probe intelligebat, se imparem esse Pompeio cum Caesare iuncto, sibi que fore utilius, si ex utriusque amicitia fructus percipere posset. Et haec lucri gloriaeque spes sufficiebat ad

Cicero in oratione, quam habuit anno 63 contra Rullum (de lege agr. II, 9) nos docet tunc nulla lege hoc prohibitum esse. Videtur igitur haec res mutata esse intra annos 63 et 60. Cf. Becker, Handb. der Röm. Altherth. II, 2, 47 seqq.

¹⁾ Plut. Pomp. 47. Caes. 13. Dio Cass. l.l. Suet. Caes. 19.

hominem movendum, cui hoc imprimis esset persuasum: *in medio tutissimus ibis.*

Quum igitur uniuscuiusque horum principum in civitate virorum interesset, ut amicitiam colerent, clam inierunt consilium de mutuo sibi invicem ferendo auxilio deque omnibus ex suo commodo in republica constituendis. ¹⁾

Tali auxilio munitus, Caesar consulatum petiit. Competitores habebat Bibulum et Lucceium. Hunc Caesar sibi iunxit et opes, quibus Lucceius pollebat, communi nomine inter tribus divisit. Qua re cognita optimates admodum timentes, ne Caesar nihil non auderet, si in summo magistratu collegam adeptus esset consentientem, Bibulum pecunia adiuverunt, ut tantum, quantum competitors, ipse largiri posset. Et Cato quidem hoc comprobavit. In eo autem cum populo certamine rursus optimates iisdem usi sunt armis; quibus ne adversarii uterentur, semper legibus coercere conati sunt. Civibus tandem ad comitia vocatis, Caesar omnium fere suffragiis lectus eique Bibulus collega datus est. ²⁾ Statim post magistratum initum Caesar legem tulit de agris dividendis in gratiam multitudinis et Pompeii, qui veteranis suis ex Asia redeuntibus agros promiserat, sed, senatu eos haud assignante, nondum promissa solvere potuerat.

¹⁾ Dio Cass. l.l. 57.

²⁾ Suet. Caes. 19.

In senatu vero patres admodum repugnabant Caesaris rogationi, qui deinde, arrepta quam diu speraverat occasione, clamavit se invitum a patribus cogi ad populum confugere, ut ab eo peteret, quae senatus sibi negasset. Sed in foro non minus quam in curia nobiles obstabant, ducibus praesertim Catone et Bibulo.¹⁾

Caesar autem putans, Bibulum prae metu populi suam esse mutaturum sententiam, rogavit eum coram omnibus, an aliquid in hac lege improbaret; qui quum nihil responderet, quam *„se in suo magistratu nullam admissurum esse mutationem,”* Caesar eum deprecari aggressus est, populoque idem ut faceret persuasit. Pervicax autem consul magna voce clamans, *„ne si omnes quidem volueritis hoc anno legem obtinebitis”* abiit.²⁾

Pompeium deinde et Crassum Caesar iussit de rogatione dicere sententiam, quo simul eorum auctoritatem et legem suam gratam redderet populo; intelligebat enim si viri hoc tempore potentes et populo accepti ipsius probassent rogationem, populum legem ratam habiturum esse.

Pompeius admodum se legem collaudare dixit, et a Caesare rogatus, an ipsi praesto futurus esset contra adversarios, addidit se legem esse defensu-

¹⁾ Plut. Caes. 14. Pomp. 47. Dio Cass. XXXVIII. 1. 3. Suet. 11.

²⁾ Dio Cass. 11. 4.

rum et scutum arrepturum, si quis gladium sumpsisset. Valde populo placuit haec Pompeii responsio, sed omnes stupuerunt quum etiam Crassus, cuius cum Pompeio dissensio tantum non omnibus nota erat, affirmavit, se prorsus assentiri Pompeio sibi que gratam esse Caesaris rogationem. Pompeii deinde et Crassi asseclis etiam comprobantibus, lex perlata est; quo facto Bibulus reliquo anni tempore se domi retinuit.¹⁾ Caesar collega adversante liberatus, omnia deinde pro arbitrio egit, unde homines iocosi dixerunt: *eo anno consules fuisse Iulium et Caesarem.*²⁾

Lege agraria Caesar populum sibi devinxerat, alia autem lege equestrem ordinem sibi conciliavit et a senatu abalienavit, quocum inde ab anno sexagesimo tertio arcte fuerat coniunctus. Equites enim a senatu petiverant, ut sibi remitteretur tertia pars vectigalium Asiaticorum, quae nomine redemptionum debebant, quoniam, Asia magna pro parte bellis Mithridaticis devastata, redditus valde essent deminuti. Quod quum senatus saepius abnuisset, per Caesarem illi acceperunt tertiae partis remissionem.

Tum Pompeii etiam in oriente acta institutaque confirmata sunt.³⁾

Hoc modo amicis prospiciens, Caesar sua ipsius

¹⁾ Plut. Caes. 14. Pomp. 47. 48. Dio Cass. l. l. 4. 5.

²⁾ Dio Cass. l. l. 8. Suet. l. l. 20.

³⁾ App. B. C. II. 13. Dio Cass. l. l. 7. Suet. l. l.

commoda non neglexit. Lege Gabinia eaque quae lata erat de imperio Cn. Pompeii didicerat, qua ratione facile summam assequi posset potestatem. Per tribunum plebis Vatinius a populo ex magno provinciarum numero accepit Galliam Cis-Alpinam et Illyriam cum tribus legionibus, non, ut adhuc mos fuerat, in unum annum, sed in quinquennium.

Quum hoc ipso tempore Metellus Celer, cui Gallia Trans-Alpina erat mandata, diem obiisset supremum, Caesar senatum rogavit, ut sibi hanc etiam provinciam decerneret; patres autem timentes, ne a populo impetraret, si ipsi negassent, Galliam Trans-Alpinam cum una legione Caesari decreverunt.¹⁾

Hac ratione praesenti commodo consuluerunt triumviri; sed quod instabat tempus, non erat praetermittendum. Summo igitur studio id egerunt, ut in posterum magistratus crearentur sibi devincti, et aliorum petitioni pro viribus adversati sunt.

A consulibus in annum 58 designatis nihil erat timendum; nam Caesar Lucii Pisonis, alterius consulis, filiam Calpurniam duxerat uxorem, et alter consul Aulus Gabinius Pompeii erat amicus.

Attamen, ne amicitia inter Gabinium et Pompeium sibi, relicta Roma, esset periculosa, Caesar instituit arctiore vinculo Pompeium sibi coniungere. Itaque ei filiam in matrimonium dedit, eumque inde ab hoc tempore primum in senatu sententiam

¹⁾ Plut. Cacs. 14. Dio Cass. 11. 8. Suet. ibid. 22.

rogare coepit, licet antea a Crasso initium facere consuevisset. ¹⁾

Pompeio urbs custodienda tradita est, qui prae-positus XX viris agris dividendis ex lege Iulia, magna pollebat potestate, et multos sibi parabat adiutores ex iis, inter quos, vicies mille numero, Campaniam diviserat, et quorum maior pars ipsius auspiciis stipendia meruerat. Caesar etiam cum multis copiis in Italia septentrionali aderat et inde Romae minabatur, auxilium laturus collegis si ei e re sua esse videretur. Sed triumvirorum adversarios nequaquam animus deseruerat. Vix Caesar consulatum deposuerat, quum duo viri nobiles Lucius Domitius Ahenobarbus et Caius Mummius praetores in senatu verba fecerunt de legibus Iuliis abrogandis, sed tempore valde importuno certamen cum Caesare inierunt. ²⁾

Caesar probe intellexit, simulac Romam reliquisset, nobiles moturos esse turbas et multos praemetu tantum quiescere. Curam igitur adhibuit, ut adversariis duces idoneos adimeret, Catonem nempe et Cicronem. Publice semper et sine metu Cato triumviratui erat adversatus, et unicuique persuasum erat, Catonis sententiam hac in re non posse mutari.

¹⁾ Plut. Caes. 14. App. l. l. 14. Dio Cass. l. l., 9. Suet. ibid. 21. Gellius N. A. IV, 10, 5.

²⁾ Suet. Caes. 23. Scholia Bobiensia in Cic. Orat. pro Sestio. pag. 297. ed. Orell.

Cicero etiam anno 59 defendens Antonium, veterem in consulatu collegam tum vero repetundarum ex Macedonia accusatum, Caesarem huius iudicii auctorem indicaverat neque a conviciis in eum abstinuerat; cuius rei propalam quidem Caesar nullam habuit rationem, sed occulte Ciceroni paravit poenam, ut simul exemplo ostenderetur adversariis, quid ipsis in posterum esset expectandum a potestate triumvirorum.¹⁾

Et causa aderat idonea, qua omnis nocendi facultas Ciceroni facile adimi posset. Anno 61 Clodius, iuvenis patricio genere ortus sed moribus dissolutis, accusatus erat, quod in domo Caesaris cum muliebri veste deprehensus sacra bonae Deae polluisset. In iudicium vocatus dixit, se illo die, quo sacra essent acta, procul ab urbe abfuisse; sed Cicero testis, non sane improbante coniuge Terentia, affirmavit, se eodem illo die Clodium domi suae conspexisse eumque eo collocutum esse. Salvus quidem iudicio Clodius decessit imprimis opera Crassi, qui auro et promissis maiorem partem iudicium biduo corruerat; sed implacabile in Ciceronem suscepit odium, quod etiam auctum est, ex quo eum Cicero in senatu iocis et conviciis obruerat.²⁾ Iam vero hunc Caesar, intelligens eum cupere gratum

¹⁾ Dio Cass. l. l. 10.

²⁾ Cic. Epist. ad Att. I, 16. Plut. Cic. 29.

probare animum, quod adulterii ipsum non accusavisset, in Ciceronem incitavit. ¹⁾

Clodius a patriciis ad plebeios traductus ²⁾ ut eius tribunatu plebis Cicero vexaretur, hoc munere ornatus, populum legibus et largitionibus sibi conciliavit et corruptis consulibus Pisone et Gabinio spe provinciae divitis, legem tulit, ut omnibus, qui civem Romanum a populo non condemnatum necassent, aqua et igni interdiceretur. Hac lege Ciceronem peti, neminem latebat. Metu percussus, abiecta veste senatoria, Cicero varios homines, consules, imprimis autem Pompeium adibat rogitans, ut ipsum defenderent. A Pompeio turpiter relictus quum diu dubius haeserat, utrum maneret et accusationem imminemtem a Clodio exspectaret an iudicio se exsilio subtraheret, tandem patria decessit.

Cicerone eiecto Clodius legem tulit ad populum, qua Cato iuberetur proficisci in insulam Cyprum, ut eam in provinciae formam redigeret, simulque urbem placaret Byzantium, ubi discordiae civiles erant ortae. ³⁾

Romae dehinc omnia erant turbata. Pompeius

¹⁾ App. B. C. II, 14. Dio Cass. l. l. 12.

²⁾ De forma, qua Clodius ad plebem transiit, gravem inter Langium et Mommsenum ortam esse dissensionem apparet imprimis ex commentatione lectu dignissima: über die *transitio ad plebem*. Ein Beitrag zum Röm. Gentilrecht und zu den Scheingeschäften des Röm. Rechts, von L. Lange, Leipzig 1864.

³⁾ Plut. Cato 34. Dio Cass. l. l. 30.

suam tueri potestatem non poterat et penes senatum nulla erat auctoritas. Cuncta in foro et per totam urbem Clodius armis et fustibus peragebat eoque procedebat audaciae, ut ne a Pompeio quidem abstineret, qui in villa sua Albana vitam degabat privatam. Tigranem tandem, Armeniae regem, qui a Pompeio bello captus adhuc in custodia erat, auro corruptus dimisit. Ne hoc quidem Pompeium ex inertia suscitare potuit, sed segniter hanc contumeliam passus est; quod adeo spiritus tribuni auxit, ut amicos eius in ius trahere coeperit, ipsumque Pompeium amicos defendentem publice contumelia afficeret.¹⁾

Talibus opprobriis Pompeius non assuetus erat, qui quum cognovisset, senatui non displicere suam a Clodio acceptam cladem, Ciceronis revocandi consilia agitavit. Sperabat enim fore, ut Cicero ipsi senatum reconciliaret, essetque ei auxilio ad pristinum in urbe locum recuperandum. Postquam diu Clodiani obstiterunt et saepius cum multorum caede in foro certatum est, tandem Clodius a Tito Annio Milone, qui multos armaverat gladiatores, victus et foro pulsus est, quo facto lex de Cicerone revocando lata et probata est.

Cicero in patriam redux, pristinae Pompeii proditionis immemor omninoque gratus fuit.

Statim Pompeium et senatum in concordiam re-

¹⁾ Plut. Pomp. 48. App. II, 15, Dio Cass. II.

degit, et quum hoc tempore Roma premeretur annonae inopia, legem suasit frumentariam, qua terrae marisque imperium quodammodo Pompeio traderetur. ¹⁾

Hac autem frumenti inopia non sublata, Pompeius senatum rogavit pecuniam; quae ei concessa est, sed simul in senatu querelae sunt auditae de agris Campaniae amissis, unde multa in aerarium pecunia redierat. Mentio iterum facta est de lege Iulia abroganda et Cicero ausus est diem constituere, quo hac de re ageretur; sed mox a triumviris per Q. Fratrem monitus, sententia mutata, eorum commodis favere coepit. ²⁾

Haec ubi Romae gerebantur et senatus quotidie maiores spiritus sumebat, Caesar in Gallia tum ingentem sibi parabat gloriam tum exercitum peritissimum, quo suo tempore uti posset.

Interea conditio singulorum triumvirorum anno 56 multum erat mutata.

Caesar laureis suis virentibus obscuraverat gloriam senescentem Pompeii, cuius splendor triumphalis evanuerat. In urbe Pompeii potestas tunc quidem non tanta, quantam optabat, erat ipseque moleste admodum ferebat, Caesarem perpetuo augeri eiusque res gestas populo summae esse admirationi. ³⁾

¹⁾ Plut. Pomp. 49. Dio Cass. XXXIX, 9. Liv. Epit. 104.

²⁾ Cic. ad Q. Fratr. II, 5, ad Fam. I, 9.

³⁾ Dio Cass. l.l. 24 et 25.

Quotiescumque autem Caesar in Italia degebat septentrionali, multi ad eum confluebant magistratus amplissimi, matronae nobiles et cuiuscumque ordinis cives, vel amicitiam petentes imperatoris, vel opibus inhiantes, quas Gallia victori praebuerat; quorum omnium opera Caesar diligenter utebatur, ut in urbe auctoritate, auro et armis omnia ex suo commodo peragere posset. ¹⁾

Crassus hucusque in societate triumvirorum minore loco functus erat. Inde a Caesaris praetura arctiore vinculo cum eo inunctus, semper magis huic quam Pompeio fuerat amicus; tunc autem livor propter magnam Caesaris gloriam Crassum aequae ac Pompeium pungebat. Ambo laudis et potestatis cupidi ad se invicem accedebant, sed mox intelligebant tamen, se sine Caesaris auxilio nihil quidquam perficere posse. Nam ut voti compotes fierent, imperio opus erat et exercitu, tum etiam provincia, in qua Caesaris aemuli evadere possent; quae omnia sine consulatu accipere non poterant. Instituerunt igitur Caesarem adire ad dignitatem sibi comparandam.

Quum hoc ipso tempore nobiles respirare coepissent ducem nacti intrepidum consulem Cnaeum Lentulum Marcellinum, quumque Lucius Domitius ille, qui praetor aggressus erat Caesaris leges, consulatum esset petiturus et publice minaretur, se

¹⁾ Plut. Caes. 20 et 21.

Caesarem e provincia revocaturum et consulem ea facturum esse, quae praetor facere nequisset, ipsius etiam Caesaris intererat ambitionem prohibere Domitii et Pompeii atque Crassi petitioni favere.¹⁾

Crassus prior ad Caesarem profectus est Ravennam eumque inde comitatus est Lucam, quo brevi post Pompeius cum collegis convenit. Mox inter triumviros actum est de conditionibus novi foederis. Caesaris in Gallia imperium fere exactum erat, et alterum ille optabat quinquennium et novas legiones et pecuniam, ut militibus stipendium persolveret. Haec vero omnia haud facilius consequi poterat quam si penes socios summus esset magistratus. Convenerunt igitur inter se, ut Crassus et Pompeius peterent consulatum, tum ex provinciis, quascumque vellent, sibi eligerent, Caesar autem auro et militibus eorum faveret petitioni; cui deinde munus adepti prorogarent imperium, et concederent novas legiones atque pecuniam publicam. Itaque Caesar imperium suum retinuit et Pompeius potestatem nactus est lautiores sibi in civitate locum recuperandi.

Sed ne haec potestas sibi fieret periculosa, Caesar curaverat, ut Crasso etiam, veteri suo amico eidemque Pompeii semper aemulo, simile daretur imperium. Sic decreverant triumviri de civitate, sed nobiles iis non assentiebantur, qui simulac rumor eorum, quae Lucae erant acta, Romam pervenit,

¹⁾ Suet. Caes. 24.

acre parabant certamen. Post multas turbas et contentiones consul Marcellinus Pompeium et Crassum publice rogavit, an consulatum essent pctituri.

Pompeius respondit affirmando, sed Crassus media servata via, se facturum esse dixit quod reipublicae conducirer.

Omnes deinde a petitione consulatus abstinuerunt praeter Domitium, qui a Catone incitatus ad ultimum usque diem perseveravit. In eum autem diem, quo consules crearentur, Caesar Publium, Crassi filium, qui apud eum legati munere fungebatur, cum multis militibus Romam miserat.

His militibus totum campum hi triumviri occuparunt, et quum die comitali mane Domitius cum Catone aliisque amicis in campum descendisset, Pompeius et Crassus armatos in eum miserunt, qui puerum, facem ei praeferentem, interfecerunt et ipsum Domitium in fugam converterunt. Adversariis igitur pulsus, Pompeius et Crassus consulatu potiti sunt et nobiles succubuerunt.

Statim per tribunum plebis Trebonium legem tulerunt de imperio Caesari prorogando eique legiones et pecuniam publicam concedendo, qua lege perlatam, eodem ferente tribuno, Pompeio et Crasso provinciae in quinque annos datae sunt, illi scilicet utraque Hispania, huic Syria.¹⁾ Prae gaudio Cras-

¹⁾ Plut. Caes. 21. Pomp. 51 et 52. Cato Min. 41 seqq. Crass. 14 et 15. App. l.l. 17. Dio Cass. l.l. 27—33. Liv. Epit. 103. Vell. Patere. II, 46.

sus exultabat et vix se continebat, quin coram populo animi sensum ostenderet. Omnes semper vicerat divitiis, sed et Pompeio et Caesari cesserat potestate et laude bellica, verum, via sibi strata ad gloriam et victorias, fore aliquando sperabat, ut Luculli et Pompeii res gestae suis ipsius obscurarentur triumphis. Bellum Parthicum animo volvens ne finem quidem consulatus expectare poterat, sed insana incitabatur cupiditate, quam Caesar etiam litteris ex Gallia missis augebat.

C A P U T I V.

CRASSI IN PARTHOS EXPEDITIO ET INTERITUS.

Regnum Parthicum dudum ante exstitit magnamque in rebus Asiae vim nactum est, quam innotuit Romanis, Parthi enim, regionis montanae et sterilis inter Hyrcaniam, Mediam et Carmaniam incolae, qui Scythicam aut Tartaricam originem ex Asia Media diu in moribus et vivendi ratione prodiderunt, medio fere seculo tertio a. C. adepti sunt libertatem. Favebat iis, res novas molientibus, regni Syrici, cui tunc subiecti erant, conditio, quippe regnante Antiocho II (Θεῶς) contentionibus aulicis labefactati et bello Aegyptio impliciti. Itaque illi ab Agathocle, praefecto Syrico, defecerunt, ducem nacti Arsacem virum fortem et intrepidum; cuius quidem frater et successor Tiridates,¹⁾ bello civili

¹⁾ Hunc se Arsacem appellasse eiusque exemplo successores idem nomen adscivisse constat.

inter Antiochi II filios, Seleucum Callanicum et Antiochum Hieracem, strenue usus, sub annum 244 Hyrcaniam devicit Parthorumque regnum firmavit victoria a. 238 de Selenco Callinico reportata eodemque biennio post capto. Tiridatis successores bella gesserunt cum Syris et cum gentibus vicinis, imprimis autem cum Scythis, qui diu infestarunt terras Parthicas. Populos finitimos bellis mutuis exhaustos Parthi deinceps sibi subiecerunt et regnum suum duce Mithridate I (Arsace VI) adeo extenderunt, ut post annum 164 fines illius ab occidente Euphrates ab Oriente Hydaspes essent. Post hunc Mithridatem Parthi vario Marte usi sunt, alias regionibus antea devictis cedere coacti, alias novis etiam potiti.

Anno autem 92 illi innotuerunt Romanis. Tunc Sulla, Ciliciae propraetor, Ariobarzanem Cappadociae regem instituit. Iam vero ad illum, quum prope Euphratem morabatur, venit regis Parthici legatus Orobasus, qui cum eo societatis amicitiaeque iungendae causa colloqueretur. In colloquio, cuius Sulla Ariobarzanem fecit participem, medium inter barbaros locum Romanus occupavit, quam imperatoris superbiam adeo moleste rex Parthorum tulit, ut Orobasum interficeret et nullam Romanis, brevi post bellum gerentibus cum Mithridate Ponti rege, opem ferret. ¹⁾ Anno 70 Phraätes III (Arsaces XII) a

¹⁾ Plut. Sulla 5.

Tigrane Armeniae rege potentissimo, qui cum Mithridate societatem inierat contra Romanos, per legatos sollicitatus est, ut in huius foederis communionem veniret, eique praemii loco Mesopotamia promissa est, quam olim Tigranes Parthis ademerat; cuius rei certior factus Lucullus quoque legatos misit Otesiphontem, qui prohiberent, ne Phraätes societatem iniret cum rege Armeniorum, eique simul, ut Romanorum potius rebus studeret, persuaderent.

Phraätes autem plus lucri a victore exspectans quam a victis, cum Lucullo amicitiam et societatem innoxit; attamen quoniam brevi post Romanis diffidere coeperat, nulla iis suppeditavit auxilia, neque vero contra eos quidquam molitus est. ¹⁾

Postquam Pompeius anno 66 Lucullo successit eiusque legati Euphratem transierunt, Phraätes metu permotus, foederis cum Romanis initi confirmandi causa, legatos misit ad Pompeium. Hic autem victoria superbiens, Parthorum regem parvi fecit et praeter alia responsa, quae legatis dedit, admodum superba, poposcit ab iis Corduenem, de qua regione inter Tigranem et Phraätem controversia orta erat. Qua in re quum gratum ei facere non possent legati, quippe qui de foedere tantum erant missi, Pompeius misit quidem ad Phraätem literas, sed priusquam aliquid responsi ferri potuit, per Afranium, legatum suum, Parthos Corduenc eiecit, et

¹⁾ Plut. Lucull. 30. Dio Cass. XXXV, 3.

hosti dediticio prae amico potenti favens regionem assignavit Armeniis.

His peractis, Afranius in Syriam profecturus per mediam Mesopotamiam copias abduxit. Itaque foedus cum Lucullo initum violavit, quo constitutum erat, ut Euphrates finis esset inter Romanos et Parthos. Regem, haec omnia moleste ferentem, Pompeius maiore etiam affecit iniuria.

Phraätes enim hucusque et apud alios et apud ipsos Romanos audierat Rex Regum, eoque titulo in epistolis omnibusque scriptis insigniri solebat; sed Pompeius in literis, ad eum missis, Regis tantum nomine eum salutavit, eique negavit honorem, quo maior apud Orientales vix ullum exstabat.

Pompeio deinde in Syriam profecto, de finibus inter Tigranem et Phraätem controversia renovata est.

Tigranes Pompeium per nuntios arcessivit, sed Phraätes missis literis multa questus est de iniuria sibi illata et de foedere a Pompeio rupto. Mira autem socordia Pompeius utrumque neglexit, neque amicum auxilio ferendo retinuit, neque hostem oppressit. Renuntiavit enim, se missurum esse tres viros ad litem diiudicandam, eoque ambos reges a se aballicnavit, quo factum est, ut Tigranes aegre ferens, se nullam a Pompeio accepisse opem, compositis controversiis, in gratiam rediret cum Partho. Hic enim intelligebat, si alter eorum ab altero esset devictus, victorem eo facilius praedam evasurum esse Romanorum; quamobrem Tigranem salvum esse

cupiebat, ut in posterum se invicem contra hostem communem adiuvari possent.

Et hac in re Phraätes multo prudentiorem se praestitit, quam Pompeius, qui licet facile Parthos, vehementer a se lacessitos, opprimere potuisset, eos neglexit, ipsisque dedit vires recreandi et ultionis tempus eligendi potestatem.¹⁾

Syria anno 64 a Pompeio in provinciae formam redacta, Romani vicini facti sunt gentis Parthicae. Ex qua viciniä identidem inter utrumque populum hostilia exorta et ad extrema regni Parthici tempora renovata sunt; etsi iusta bellandi causa saepius defuit. Veluti hoc ipso tempore, de quo hic nobis agendum est, Crasso in provinciam Syriam tendente, huiusmodi causa haud exstitit. Parthi enim, licet multas iniurias passi, non tamen offenderant Romanos. Sed Crassus, ut supra indicavimus, Luculli et Pompeii gloriae bellicae inhians, eo cupidior belli Parthis inferendi erat, quo minoris horum faciebat potestatem, quoque avidior opum erat, quibus eos pollere audierat.

Eius autem ante exactum consulatum in Syriam abeundi festinatio uti nobilibus displicebat, ita hi per tribunum plebis Ateium prohibere conati sunt profectionem; multis etiam indignantibus Crassum exire ad bellum inferendum hominibus, a quibus

¹⁾ Plut. Pomp. passim. App. Bell. Mithr. 106. Dio Cass. XXXVII, 5, 6, 7.

nulla Romanis orta esset iniuria, quibuscum adeo pax ageretur et foedus esset ictum. Hos omnes metuens Crassus, Pompeium rogavit ut se deduceret; sed Ateius obviam procedens, primum verbis et precibus illum monuit ne proficisceretur, deinde viatorem ad consulem retinendum misit, quod quoniam Ateii collegae non permiserant neque Crassus proposito desistebat, tribunus plebis ad portam accurrens focum ibi cum prunis ardentibus posuit, ut deorum metu et religione consulem absterret.

Pompeius interea placido vultu, per hominum turbas viam faciens, Crassum ad portam deduxerat.

Ibi Ateius, sacris factis et aromatibus in ignem coniectis, nominatim deos civit ignotos et in Crassum vetustas arcanasque execrationes invocavit; sed nihil senem, auri et gloriae insana cupidine incitatum, retinere potuit. ¹⁾

Ubi Brundisium advenerat, mare hiemali tempore et procellis adeo erat turbatum, ut omnia ab itinere dehortarentur. Crassus autem non moratus est et cum multarum navium iactura in Asiam pervenit. Inde terrestri itinere in Syriam tendens venit in Galatiam, ubi rex Deiotarus grandis iam natu novam condebat urbem; cui iocose Crassus: *tu, inquit, o rex, duodecima demum hora urbem aedificas. Barbarus contra non male Romano respondit: neque*

¹⁾ Plut. Crass. 16. Ciceronis de Crassi profectione verba *o hominem nequam* exstant Epist. ad Att. IV, 13.

tu, ut mihi videris, imperator nimis mane contra Parthos bellum paras. Iam enim Crassus exegerat annum sexagesimum eoque erat aspectu, ut provectior etiam aetate esse videretur.¹⁾

In provinciam delatus, statim expeditionem in Parthos aggressus est, neque initium spe magnarum rerum caruit. Nemine enim resistente Euphratem, ripis ponte coniunctis, facile transiit, magnamque Mesopotamiae partem depopulatus est.²⁾

Regium illius regionis praefectum proelio apud Ichniam vicit, qui vulnere etiam accepto ad Orodem (Arsacem XIV) confugit, eumque Crassi expeditionis fecit certiore.³⁾

Urbium deinde, quae inter Euphratem et Tigrin erant origine Graeca, quaeque omnes moleste Parthorum ferebant imperium, multae Romanos, tanquam amicos, sponte intra moenia receperunt. Zenodotiae vero cives, quibus imperabat Apollonius tyrannus, specie deditiois milites quosdam Romanos in urbem acceptos interfecerunt, quo dolo iratus Crassus exercitum moenibus admovit, urbem captam diruit et incolas in servitutem abduxit.⁴⁾

Propter huius urbis excidium imperatorem se a militibus dici passus est, ac si maiorum rerum ge-

¹⁾ Plut. II. 17.

²⁾ Plut. II.

³⁾ Dio Cass. XL, 12.

⁴⁾ Plut. II. Dio Cass. II. 13.

renderarum spem prorsus abiecerat. Fortasse tamen omnes inter Tigrin et Euphratem urbes hac expeditione capere potuerat, si temporibus et barbarorum trepidatione prudenter esset usus.

Babylon enim et Seleucia, nobilissimae tractuum illorum urbes, Orodi valde erant hostiles et aegre a rege, quod a Mithridatis partibus steterant, erant captae; quarum mocnibus si Romanus de improvise agmen adduxisset, facile, hisce potitus urbibus, cetera Parthis ademisset oppida. Sed quam acriter ille in Asiam ad bellum gerendum profectus est, tam segniter idoneo usus est tempore.

Nam postquam in urbibus captis praesidia posuerat eoque vires suas diviserat, in Syriam rediit hiematum, quo omnia perdidit, quae antea secundo Marte gesserat.¹⁾

Sic Parthis belli parandi tempus dedit, iisque praebuit occasionem praesidia in urbibus Mesopotamiae relicta opprimendi, ipsasque recuperandi urbes.²⁾

Neque etiam in Syria hiemale otium ad belli utilitatem contulit. Non armorum telorumque usu milites quotidie exercuit, non copias auxit neque accuratae regionum Parthicarum, per quas iter erat facturus, notitiae sibi comparandae operam dedit; sed tempus tantum non trivit in urbium reditibus

¹⁾ Plut. 11. Dio Cass. 11.

²⁾ Dio Cass. 11.

computandis et magna undecumque corradenda pecuniae copia.¹⁾

Civitatibus et regibus Romae subiectis aut amicitia cum ea coniunctis auxilia aliaque omnia, quae bello usui esse solent, imperavit, sed simul iis permisit, ut pecunia soluta omnium munerum vacationem sibi pararent. Ne a templorum quidem opibus manus abstinuit avidas. Hierapoli in urbe Syriae prope Euphratem templum praedivitem spoliavit, multosque dies in praeda trutina examinanda consumsit. Aede egredientibus Dea malum omen obiecit. In limine enim Crassi filius lapsus est, et ipse pater super filium prostratum cecidit.²⁾

Iudaeos quoque adiit, audita templi Hierosolymitani opulentia. Inter multos alios thesauros, quos intactos Pompeius reliquerat, ibi rapuit trabem ex solido auro factam lignaeque trabe inclusam, ex qua suspensa erant velamina mira arte confecta. Hanc trabem ignotam ei monstraverat sacerdos Eleazar, postquam a Crasso acceperat iusiurandum, ut ab aliis templi opibus abstineret; sed fide violata et ipsam et alia omnia secum abduxit.³⁾

Interea ad eum, militibus ex hibernis contractis, bellum instaurare parantem, in Syriam venerunt legati regis Parthici querentes de foedere rupto et

¹⁾ Plut. l.l.

²⁾ Plut. l.l.

³⁾ Iosephi Ant. Iud. 14, 7, 1.

causas belli exquirentes. Regis nomine Crasso denuntiabant, si a Romanis missus ad bellum gerendum cum Parthis adesset, Orodem summa vi illud bellum esse repulsurum, si autem fama ei verum attulisset et Crassus invito Populo Romano Parthos bello lacesseret, regem miserari consulis senectutem, eumque hanc ob rem omnes Romanos, qui in Mesopotamia relictii ibique ab hostibus essent obsessi, liberos esse demissurum, si Crassus bello abstineret. ¹⁾

Hoc barbari mandatum aegre tulit Romanus et superbe iis respondit, se Seleuciac causam belli expositurum. Tum Vagises legatorum natu maximus risum tollens et palmam manus sinistrac digitis dextrae percutiens, *prius*, inquit, *in hac manu enascentur pili, quam tu Seleuciam adspicias.*

Legati ad suos reversi bellum gerendum esse renuntiarunt. ²⁾

Eodem tempore, quo legatos in Syriam ablegaverat Parthorum rex, exercitum etiam in Mesopotamiam miserat Surena et Sillace ducibus, qui urbes captas recuperarent casque, quae sponte ad Romanos defecerant, in ipsius redigerent potestatem. ³⁾

Milites autem Romani, qui in urbibus Mesopotamiae praesidii causa erant relictii, vim Parthorum

¹⁾ Plut. l. l. 18. Dio Cass. l. l. 16.

²⁾ Plut. l. l. Dio Cass. l. l.

³⁾ Dio Cass. l. l.

propter parvum numerum arceri non poterant, ibique magis a Parthis erant inclusi, quam urbium defensores. Brevi igitur tempore Surenas urbes amissas recepit, et perpauci milites Romani victorum manibus elapsi ad Crassum evaserunt, renuntiantes horrendam hostium multitudinem et robur, cui nemo resistere posset: Parthos esse armatos telis, quae per omnia penetrarent, armis autem ita esse munitos, ut omnem vim facile sustinerent, neque quemquam eos posse effugere insequentes, neque recedentes eosdem assequi. ¹⁾ Haec timorem militibus iniecerunt, quippe qui putavissent, Parthos similes esse futuros Mithridatis et Tigranis militibus, quos facillime in fugam vertere Romani soliti erant. ²⁾

Quum milites animis adeo abiectis essent et hauruspices praeterea mala portendi nuntiarent, nonnulli ex Crassi praefectis, quibus praecerat quaestor Cassius, animum eius ab hac expeditione deflectere conati sunt. ³⁾

Sed Crassus neque his obtemperavit, neque Artabazi Armeniorum regis consilio prudentissimo obsecutus est. Hic enim Tigranis filius et successor se Crasso socium adiunxerat, eique nullo modo bellum cum Parthis dissuadebat, sed ipse cum sex millibus equitum in Romanorum venerat castra et

¹⁾ Plut. l.l.

²⁾ Plut. l.l.

³⁾ Plut. l.l.

auxilium promiserat decem millium equitum gravis armaturae atque triginta millium peditum. Rex autem, Parthorum armaturae et belli gerendi moris uti etiam regionis illius gnarus, Crasso suasit, ut, omisso itinere per Mesopotamiam, regionem equitibus valde idoneam propter immensam planitiem, per Armeniam Parthos invaderet: ita enim Romanos ex Armenia commeatus habituros copiam eosque tuto profecturos per regionem propter multos et continuos montes equitatu, in quo summa esset Parthorum vis, parum commodas. ¹⁾

Collaudavit quidem Crassus studium et auxilium Artabazi, sed utilissimum sprexit consilium et per Mesopotamiam proficisci instituit, ne praesidia ibi relicta desererentur. ²⁾

Rex in Armeniam abiit, ibique suum invenit hostem. Orodes enim, misso Surena cum equitibus contra Romanos, ipse pedites et levis armaturae milites, quorum auxilium contra legiones Romanas parvum esse sciebat, in Armeniam duxerat, eoque prohibebat, ne Artabazus, de suo regno sollicitus, opem promissam Crasso afferre posset. ³⁾

Crassus autem Euphratem transiit prope Zeugma cum septem legionibus, quatuor fere millibus militum levis armaturae, totidemque equitibus, quo-

¹⁾ Plut. l.l. 19.

²⁾ Plut. l.l.

³⁾ Plut. l.l. 22. Dio Cass. l.l. 16.

rum robur erant mille equites delecti, quos Publius Crassi filius, a Caesare missus auxilio patris, in Syriam in Crassi castra duxerat. ¹⁾

Statim inito itinere gravia omina militum turba-
verunt animos. Ventus enim acerrimus tonitru et
fulgure mixtus ex adverso exercitus erupit, et pons
ipse, antequam omnes transiissent, disiectus est. ²⁾
Aquila etiam dicitur ita infixae haesisse, ut vix evelli
posset, quin, quum transferretur, sua sponte retro
esse aversa. ³⁾

Vexillum quoddam ferunt ventorum vi a ponte in
flumen decidisse, quo facto Crassus, ut ad portan-
dum essent aptiora, alia praecidit vexilla, eoque hor-
rendum in modum prodigiorum numerum auxit. ⁴⁾
Unus quoque ex equis praetoriis splendide ornatus
cum sessore in aquam insiluit et submersus in-
terit. ⁵⁾

In ipso autem Euphratis transitu tanta nebula
orta est, ut milites se invicem urgentes corruerent
et in flumen abrepti misere perirent, neque ceteri
prius terram hostilem adspicere possent, quam pedem
in ea posuissent. ⁶⁾

Neque, flumine trajecto, omina timorem ordini-

¹⁾ Plut. l. l. 17, 19, 20.

²⁾ Dio Cass. l. l. 18.

³⁾ Plut. l. l. 19. Dio Cass. l. l.

⁴⁾ Dio Cass. l. l.

⁵⁾ Plut. l. l.

⁶⁾ Dio Cass. l. l.

bus incutere desierunt. Locus enim castris destinatus bis fulmine ictus est, et quum militibus transgressis alimenta dividebantur, primo omnium sal et lentes distributa esse ferunt, quae Romani funesta putant mortuisque apponere solent. ¹⁾

Milites cunctis his ominibus perterritos ut recrearet, Crassus concione advocata dixit: non debere eos perterrerī propterea, quod pons disiectus esset, nam se statuisset copias per Armeniam reducere.

His autem verbis eos consolatus, magna voce adiecit: *hac enim, milites, via nemo nostrum redibit.* Hinc rediit metus, putantibus Romanis postrema verba non minorem reliquis ominis vim habere, et in tantam moestitiam exercitus lapsus est, ut neque ducis adhortationes vim hostium elevantis et virtutem Romanorum laudantis, neque praemiorum et pecuniae distributio metum solvere possent. ²⁾ Deinde ei lustrale pro exercitu sacrum facienti, viscera ab haruspice tradita manibus exciderunt, quod animadvertens aegre ferre adstantes: *haec, inquit, senectutis culpa est, sed arma nequaquam e manibus elabentur.* ³⁾

Iam omnia malum expeditionis exitum portendere videbantur; attamen milites ducem secuti sunt. Iuxta ipsum fluvium primo agmen progressum est

¹⁾ Plut. 11.

²⁾ Plut. 11. Dio Cass. 11. 19.

³⁾ Plut. 11.

praemissis exploratoribus. Qui quum renuntiassent, terram hominibus esse vacuum et multa se vidisse vestigia equitum retrocedentium, respirare coeperunt milites et parvi pendere hostem quippe manum conserere non ausurum.¹⁾

Cassius autem, qui in Crassi castris quaestorio fungebatur munere, cum admonuit, ut in urbe aliqua, quae praesidio teneretur Romano, exercitum contineret, donec certi quid de hostium potestate et numero cognovisset; quod si minus ipsi placeret, se suadere dixit, ut iuxta Euphratem progredere usque ad Seleuciam, unde facile Ctesiphon peti posset: ita enim naves onerarias, agmen secutas, annonae copiam praebituras et ipsum flumen prohibiturum esse, ne copiae ab hoste circumvenirentur.²⁾

Ad Crassum, de hoc consilio deliberantem, venit Arabs quidam,³⁾ qui antea Pompeii fuerat amicus et socius, unde nonnullis etiam Romanis, qui Crassum comitabantur, notus erat, sed tunc, mutato animo, barbarorum sequebatur partes. Homo versutus dolo suo maximam Romanis intulit calamitatem.

A Parthis ad Crassum perdendum missus, amicitiam erga Romanos simulavit et liberaliter pecu-

¹⁾ Plut. l. l. 20.

²⁾ Plut. l. l.

³⁾ Nomen eius varie affertur. Plut. in vita Crass. 21 eum vocat Ἀριόμνην, Dio Cass. XL, 20 Ἀύγαρον, Florus III, 11 *Mazarum*, Sextus Rufus autem *Marachum*.

niam imperatori largitus est, ut omnia eius exploraret consilia, quae Parthis deinde patefaceret; idemque a consiliorum prudentia Crassum abduxit, quae vero nocerent, his commendatione sua pondus addidit. ¹⁾

Summo studio id egit, ut utilem Cassii sententiam Crasso dissuaderet, et Romanos quam longissime a fluvio abduceret in vastam Mesopotamiae planitiem, ubi facile milites gravis armaturae circumiri possent et opprimi ab equitibus et sagittariis, qui quidvis potius auderent quam Romanos a fronte aggredi.

Ut igitur ad Crassum venit, amicitiam et beneficia Pompeii memoravit, Crassi copiarum numerum laudavit, de hostium vero potestate multum detraxit, dicens Orodem metu perculsum omnes res pretiosas in Scythiam et Hyrcaniam transtulisse, neque ei animum esse pugnam ineundi cum Romanis, Surenam modo et Sillacem cum parte copiarum Romanis obiectos esse, ut nimis celerem impetum reprimerent, atque Parthis tempus esset fuga sibi suisque rebus consulendi; quibuscum si manum conserere vellet et magnis potiri divitiis, summa festinatione et brevissima via in hostes recedentes tendendum esse. ²⁾

Haec et alia eiusmodi dictitando homo fraudulentus idemque valde facundus Crassum a sana in suam traxit sententiam, cumque cum agmine ab Eu-

¹⁾ Dio Cass. l. l. 20.

²⁾ Plut. l. l. 21.

phrate avulsum per media deserta duxit. Initio, nullo prodeunte hoste, milites hilari animo profecti sunt, sed mox in gravissimas inciderunt molestias, quippe quos arena profunda, solis ardore calefacta neque ullo fonte vel rivo irrigata, excepisset et planities terreret infinita et arboribus atque umbra prorsus destituta.¹⁾ Iam aquae penuria et iuineris per pulverem calidum difficultas milites vexabat et locorum horrenda solitudo moestitiam atque timorem augebat. Hoc tempore legati ab Artabazo Armeniae rege advenerunt, qui Crasso nuntiarent, regem bello peti ab ipso Orode, ideoque auxilium promissum ei praestare non posse, illum autem Crassum rogare, ut ipse in Armeniam veniret, ubi iunctis viribus hostem propulsare possent; quodsi imperator aliter statueret, id saltem ei agendum esse censebat rex, ut loca plana equitibus idonea diligenter vitaret, et per montes et loca ardua progredereetur, neque a flumine discederet. His auditis Crassus, putans regem Armeniae ipsum prodidisse, superbe legatis respondit, se mox venturum esse in Armeniam et poenas a rege sumpturum.²⁾

Artabazi autem consilium movit Cassium reliquosque eius sententiae addictos, ut, neglecto Crasso, qui moleste ferebat se semper a praefectis suis moneri, Arabem adirent eumque de itinere inter-

¹⁾ Plut. l.l. 22.

²⁾ Plut. l.l.

rogarent, a quo iam diu timuerant ne insidiae pararentur exercitui.

Barbarus, qua erat calliditate, eos submisso consolatus est et hortatus, ut paulisper adhuc res asperas tolerarent, omnium quippe difficultatum fine mox adfuturo. Sed priusquam doli manifestus fieret, persuasit Crasso, sibi abeundum esse ad hostium consilia perturbanda, et salvus castris decessit.¹⁾

Non longe iam Parthi aberant; nam qui exploratum praemissi erant, pauci ad suos redierunt, nuntiantes socios suos a Parthis interfectos esse, hostes vero magno numero advenire pugnaturos.²⁾

Nondum putaverant Romani sibi manum esse conserendam, unde plurimi animo deficiebant. Ipsi enim itinere difficili et siti erant defessi, hostes contra, his omnibus assueti, summa fiducia proelium inituri erant. Neque etiam certamen detrectare Romanis licebat, quum nullo modo se ab hostibus irruentibus tueri possent. Non enim propter arenae siccitatem fossam poterant fodere, neque aggerem firmum exstruere, quibus castra muniri solent.

Ipsae etiam imperator prae festinatione non satis intelligebat quid ageret et de acie instruenda dubitabat. Primum quidem Cassii aliorumque legatorum consilio obsecutus, legiones quam longissime per

¹⁾ Plut. 1.1.

²⁾ Plut. 1.1. 23.

campos extendit cornibus equitatu munitis, ne circumdari ab hostibus possent.¹⁾

Mox autem consilium mutavit et aciem effecit quadratam, cuius latera duodenis constarent cohortibus, singulisque cohortibus equitum partem adiecit, ut omnes partes seorsum hosti occurrere possent. Ipse medium ducens agmen, alteri cornu Cassium quaestorem, alteri Publium filium praefecit, et instructa acie progressus pervenit ad flumen quoddam exiguum, cui nomen erat Balissus. Hic quum alii duces putarent subsistendum esse et pernoctandum, ut de numero et ordine hostium certi quid cognosceretur, Crassus, filio suo dimicandi cupido indulgens, milites servato ordine cibum et potum sumere iussit, et, antequam omnes se reficere potuissent, propere contra hostes duxit.²⁾

Iam primi in conspectu erant hostes opinione pauciores et ornatu parum splendido. Maior enim pars exercitus Parthorum ducis iussu subsederat, armorumque splendorem vestibus et tegumentis texerat.³⁾ His copiis praeerat Surenas, qui secundum in regno locum tenebat, et belli gloria atque virtute, uti etiam genere divitiisque omnibus sui temporis Parthis praestabat. A maioribus suis hunc hereditate acceperat honorem, ut creato regi Parthico primus ipse diadema imponeret.

¹⁾ Plut. l. l.

²⁾ Plut. l. l.

³⁾ Plut. l. l. Dio Cass. l. l. 21.

Quotiescumque autem bellatum abibat, magnus eum numerus sequebatur iumentorum, et ducentis curribus pellices vehebantur, nec cuiquam maior praesto erat equitum cataphractorum et militum levis armaturae copia.

Huius imprimis viri auxilio Orodes fratrem devicerat Mithridatem. Ipse enim Surenas primus moenia conscenderat Seleucia et urbem in regis potestatem redegerat. Quamquam triginta demum annos natus erat, summam iam prudentiae et calliditatis laudem obtinuerat, quae belli duci magis saepe quam virtus prodesse solent. ¹⁾

Romani quum citato gradu prope ad hostem adissent, repente signo dato tota planities horrendo strepitu resonavit. Non enim Parthi in pugna tubis utebantur vel cornibus ad milites hortandos aut revocandos, sed tympanis ex pellibus siccis et aere excavato confectis, quae malleis ubique simul pulsabant, ut terrorem iniicerent hostibus: nam terribilem illa sonum edebant, tamquam mugitum ferarum et tonitrus raucum fragorem. Quo sono sollicitis Romanis, repente surrexerunt hostes, qui hucusque subsederant, et, abiectis tegumentis armorum, ubique fulserunt galeae et vero equites aeneis et ferreis tunicis insignes, quorum etiam equi aere erant muniti. ²⁾

¹⁾ Plut. 11. 21.

²⁾ Plut. 11. 23, 24.

Primum quidem Parthi conati sunt dissiicere primam Romanorum aciem, sed legionarii milites impetum equitum sustinuerunt, et hostes, acres in aggreudiendo, verum in perseverando minus diligentes; pedem mox retulerunt. In hostem fugam simulantem et ordines suos dissolventem Crassus velites immisit, sed hi haud longe progressi sunt.¹⁾

Tanta enim sagittarum undique multitudine petiti sunt, ut intra suorum ordines sese recipere cogentur. In his Romani vim sagittarum Parthicarum conspiciere poterant, tantam quidem illam, ut neque aes neque corium earum impetum quamvis eminus iactarum coërceret.²⁾ Itaque velitibus reiectis, pugna rediit ad legionarios milites, quibus tamen nulla fortia facinora edendi occasio data est. Si enim in orbem consistebant, ut propter ordinum densitatem essent tutiores et firmiores, equites hastati magno impetu irruentes confodiebant primam aciem antequam Romani hastis sive gladiis eos petere possent, et tegumenta equitum atque equorum iacula a Romanis emissa arcebant. In conglobatos autem Romanos sagittae summo impetu coniectae vix scopo aberrare poterant, et, si ordines erant dissipati, hostium sagittandi peritia singulos conficiebat.³⁾ Quamdiu autem Romanis spes erat, ut consumtis barbarorum iaculis

¹⁾ Plut. l. l. 24.

²⁾ Plut. l. l.

³⁾ Plut. l. l. Dio Cass. l. l.

cominus pugnandi copiam haberent, aut pugnae saltem finis adesset, omnia mala perpessi sunt.

Sed haec quoque spes vana fuit; nam mox apparuit, multos in postremo agmine adesse camelos sagittis onustos, ad quos singuli emissis iaculis circumvecti, alia petebant.¹⁾ His tantis malis oppressos gravia soli et naturae incommoda vexabant. Magnum enim equites hostiles circumequitando arenae turbinem excitabant, quo Romanorum oculi dolore afficiebantur et prospectus iis praeclusus est. Sitis etiam et aestus, quae Parthi perferre iam a pueris didicerant, vehementius quam reliqua mala Romanos affligebant.²⁾

Hucusque acies Romanorum ordines servaverat, sed timere iam coepit Crassus, ne mox ab hoste circumiretur. Iussit igitur filium suum Publium Barbaris se obiiicere cum equitibus partim a Caesare acceptis partim aliis, numero mille et trecentis, quibus adiuncti erant milites levis armaturae. Ordines progressos non exspectavit hostis, sed retroversus se in fugam dedit, qua gavisī Romani magno clamore fugientes persecuti sunt.³⁾ Brevi autem post intellectum est Romanos fraude Parthica deceptos esse.

Hostes enim, quum filium a patre detraxerant, constiterunt, et, obiectis Publio equitibus cata-

¹⁾ Plut. l.l. 25.

²⁾ Plut. l.l.

³⁾ Plut. l.l. Dio Cass. l.l. 21.

phractis, alii equites undecumque circumvecti e longinquo Romanos interficere coeperunt. In arctum compulsi non diu poterant resistere: sagittis petiti non tamen celeri morte peribant, sed dolore moto alii cuspides hamatas evellere corporibus conati se ipsi dilacerabant, alii manibus clypeo et pedibus terrae affixis sibi ipsi opem ferre non poterant et misero modo cruciabantur. Itaque ira acti in cataphractus impetum facere conati sunt, et Gallorum quidem equites fortia facta perpetrarunt.

Horum enim alii corporibus nullo tegumento munitis in equites Parthorum irruebant hostiumque contos manibus arripiebant et ipsos equites, qui propter thoraces gravissimos vix se movere poterant, equis detrahebant; alii autem equis suis descendentes Barbarorum equos subibant horumque ventres gladio sauciabant, ita ut animalia vulneris dolore exsilia, simul cum hoste suos perderent sessores.¹⁾

Maiore tandem parte equorum amissa, equites ad peditum aciem se receperunt, Publium vulneratum secum ducentes. Arena acervum quendam in propinquo conspicati eo recesserunt, ubi sperabant fore ut facilius vim barbarorum arcerent. Sed in hoc colle magis etiam quam in plano telis expositi erant hostium, qui, quod alius alio superiorem tenebat locum, cunctos simul contingere poterant. Nullus amplius malorum exitus supererat, quam mors ho-

¹⁾ Plut. l.l.

nesta. Publium autem Hieronymus et Nicomachus, viri origine Graeca et regionis huius non ignari, servare conati sunt cique suaserunt, ut secum Ichnas perfugeret, urbem proximam et Romanis amicam.

Sed generosus iuvenis suos deserere et solas evadere salvus noluit. Itaque quum sibi ipse propter manum iaculo transfixam mortem consciscere non posset, armigero suo pectus praebuit et morte voluntaria omnem a Parthis contumeliam effugit. Huius exemplum amici et primores exercitus secuti sunt, ita ut perpauca vivi in manum venirent hostium. ¹⁾

Interea Crassus putavit, filium secundo Marte cum hoste arma contulisse, et, quoniam ipse a Parthis magno numero ad Publici perniciem profectis minus urgebatur, recepto ex pudore animo exercitum contraxit, exspectans filium mox victorem rediturum esse. Quum enim Parthi, Romanis aggredientibus, recesserant, Crasso hostem fugere nuntiatum erat, et qui postea a Publico cladis nuntii ad patrem missi erant, a Parthis intercepti et occisi mandata perficere non potuerant. Posteriores autem nuntii clapsi sunt et Crasso retulerunt, de toto agmine actum esse, nisi celerrime subveniretur. Metu percussus aliquamdiu dubius haesit, quid sibi esset faciendum, donec exercitum tandem permovit, ut filio ferretur auxilium. Sed Publicus iam hostibus succubuerat, et Parthi victoria reportata super-

¹⁾ Plut. LL.

bientes, magno clamore et horrendo tympanorum sonitu redibant, et caput filii hastae praefixum ostentantes, patrem compellabant conviciis, non convenire dicentes, ut tam generosus iuvenis filius diceretur viri pessimi et ignavi.¹⁾ Hoc omnium Romanorum animos fregit, neque, ut in tali re fieri solet, Publii clades iram et ulciscendi cupiditatem excitavit, sed metum et trepidationem militibus attulit. Crassus solus animo vere Romano suum tulit malum. Ipsum ferunt omnes circum-equitasse ordines et milites esse hortatum, ne suus luctus nimium iis iniiceret terrorem, hostibus potius omne huius cladis gaudium praeriperent et nomine Romano digna perpetrarent facinora. Romanorum enim esse dixit, vincere non magis fortuna armorum, quam gravissima quaeque ad extremum usque tolerando.²⁾ Sed parum adhortatio profuit. Paucorum tantum animos erexit, et quum etiam perfidum illum Arabem, qui se iis ducem per deserta prae-buerat, in acie Parthorum arma ipsis inferentem conspexissent, prorsus salutis spem abiecerunt.³⁾ Interea undecumque vehementius urgebantur; ab altera enim parte petebant eos Parthi, quos si reiicere conabantur, ab altera parte Arabes aut alia Parthorum multitudo instabat, ita ut modo

¹⁾ Plut. l. l. 26.

²⁾ Plut. l. l.

³⁾ Dio Cass. l. l. 23.

ad hos modo ad illos conversi, undique obnoxii essent telis, quae nunquam aberrantia coniciebantur ab equitibus, qui totum cinxerant agmen. Procul dubio caesi ad unum omnes essent, nisi nox intervenisset. Nocturno enim tempore ullam committere pugnam Parthorum mores vetant; et quandoquidem illi castris munitis haud utuntur, procul ab hoste quamvis imbecillo pernoctare solent.¹⁾

Itaque defessi pugnando Parthi discesserunt, dicentes, se unam noctem concedere Crasso, ut mortem filii defleret. Romanis autem haec nox tristis fuit. Sua quemque mala prohibebant, ne aliis opitularentur; ubique audiebantur clamores et lamentatio sauciorum, quibus nemo auxilium ferebat. Ne quietis quidem et somni grata exspectatio hominibus defessis arridebat; nam omnes intelligebant, prima luce omnem fugiendi potestatem sibi praereptum iri, si hostes rediissent. Noctis igitur beneficio erat utendum, sed spes salutis erat parva in tenebris iter facientibus per vastam et ignotam solitudinem.²⁾

In tanta rerum desperatione milites conspicere volebant imperatorem; sed senem tandem dolor fregerat. Consilii expers humi iacebat filii mortem deplorans, et nullam amicorum adhortationem vel consolationem admittebat. Quem quum Cassius et

¹⁾ Plut. l. l. 27. Dio Cass. l. l. 24.

²⁾ Plut. l. l.

Octavius frustra, ut surgeret et rebus prospiceret praesentibus, monuissent, ipsi convocarunt tribunos militum et centuriones, ut salubre inveniretur consilium. ¹⁾ Qui postquam statuerant, hoc loco quam celerrime esse discedendum, milites sine tubae sonitu excitaverunt, et sauciis in castris relictis, ceteris praeceperunt, quicumque possent, ut Carras recederent, quae urbs relictis in ea praesidiis tuta ipsis asservata erat. ²⁾

Fuga autem saepius impedita est, quippe qui modo putantes hostem supervenire ordines instruerent, modo saucios, qui secuti erant, ad se reciperent, aliosque etiam in via exponerent, quos vires deficiebant. ³⁾ Ignatius quidam cum trecentis equitibus agmen reliquit et circa mediam noctem Carras pervenit. Compellatis ibi vigilibus Coponio, qui urbis praesidio praecerat, nuntiare iussit, magnum inter Parthos et Romanos proelium esse commissum; quibus verbis neque exitum pugnae, neque suum nomen addens, abiit et cum sociis sospes evasit. Coponius vero ex nuntio ipsi allato coniciens, Romanos non secundo Marte decertasse, Crasso auxilium ferre statuit, suisque militibus collectis obviam victis ivit eosque salvos Carras deduxit. ⁴⁾

¹⁾ Plut. 11.

²⁾ Plut. 11. Dio Cass. 11. 25.

³⁾ Plut. 11. Dio Cass. 11.

⁴⁾ Plut. 11.

Prima luce Parthi ad castra redierunt Romanorum, ibique relictos interfecerunt omnes multosque etiam, qui via aberraverant vel itineris difficultati succubuerant, per equites assecuti trucidarunt.¹⁾

Interea ad Surenam rumor pervenerat, Crassum iam Euphratem transiisse et ignotorum tantum hominum turbam intra Carrarum moenia confugisse; alii contra affirmabant, Crassum Carras se contulisse neque inde adhuc profectum esse. Valde haec rerum ignorantia barbarum angebat, nam putabat, si Crassus evasisset, sibi victoriae praemium esse praereptum et Romanos denuo bellum contra Parthos moturos esse. Cuius rei ut certior fieret, Carras legatos misit, qui Romano sermone Crassum et Cassium appellarent et dicerent, Surenam colloquendi causa cum iis velle congregi.²⁾

Paulo post eodem ablegavit Arabes, qui olim in castris degerant Romanis ipsumque Crassum et Cassium facie noverant, qui, Cassio in moenibus inspecto, Surenam dixerunt pacem iis concedere ipsisque polliceri regis amicitiam si Mesopotamia decessissent. Cassius probavit condiciones oblatas et postulavit, ut dies et locus colloquii inter Crassum et Surenam constitueretur. Legati, his auditis, ad suos redierunt, Surenae referentes, Romanorum duces non effugisse, sed in urbe morari.³⁾ Statim bar-

¹⁾ Plut. l.l. 28.

²⁾ Plut. l.l.

³⁾ Plut. l.l.

barus copias moenibus admovit et omissa omni, quam modo per legatos obtulerat, benevolentia, Romanos iussit Crassum sibi et Cassium victos dedere, si pacem impetrare vellent. ¹⁾

Denuo inter victos tumultus et trepidatio orta est, timentesque, ne urbs a Parthis caperetur, eam relinquere decreverunt. Et fortasse salvi inde omnes abiissent, si hoc imprimis curassent, ne cui barbarorum hoc consilium enuntiaretur. Sed ipse Crassus Andromachum, virum perfidissimum, omnium consiliorum fecit participem et itineris ducem eum elegit. Hic omnia, quae a Romanis cogitabantur, Parthis enuntiavit eiusque prodicionis causa postea a Parthis Carrensiū accepit imperium. ²⁾

Romani densa nocte Carris egressi, ab Andromacho isto, ne nimis Parthos praeverterent, variis viis circumducti, tandem itinere ambagibus pleno in paludes et loca fossis intercepta pertracti sunt. ³⁾

Cassius autem, iam antea suspicatus Romanis ab isto barbaro fraudem parari, Carras redierat, unde fidos nactus itineris duces cum equitibus suis effugit. Alii etiam, quinquies fere mille, quibus praecrat Octavius, in loca montana, quae Sinnaca dicuntur, ante lucem pervenerunt. ⁴⁾

¹⁾ Plut. l.l. 29.

²⁾ Plut. l.l. Dio Cass. l.l.

³⁾ Plut. l.l.

⁴⁾ Plut. l.l. Dio Cass. l.l.

Crasso, fraude ducis in locis illis palustribus et iniquis oberranti dies supervenit. Tandem post multas difficultates, quum hostes in eo essent ut eum assequerentur, ad collem venit non munitum neque prorsus tutum ab equitum incursione, sed Sinnacis montibus, quos Octavius tenebat, suppositum. Hic simulac vidit Crassum a Parthis urgeri, ad opem ferendam accurrit, omnesque eum milites secuti sunt, qui hostes acriter aggressi, colle eos deiecerunt et, Crasso in medium recepto clypeisque tecto, affirmarunt, nullum Parthorum telum ad imperatorem perventurum, antequam omnes pro eo pugnantes occubuissent.¹⁾

Et Parthi quidem reiecti Romanorumque in resistendo fortitudinem experti, remissius aggrediebantur; sed hoc quam primum animadverterat Surenas, iterum dolo Romanos tentare instituit, ne, si nox advenisset, omnes salvi abirent.

Revocatis igitur copiis, ex composito per castra sua sermonem haberi iussit de Orodis erga Romanos clementia, non esse Parthorum regem eo animo, ut bellum cum Romanis gerere vellet, sed ipsi magis placere pacem cum iis agere et Crasso gratificari.²⁾

Quae ut Romanis nuntiarentur, nonnullos ex captivis, qui huic sermoni interfuerant, dimisit, et ipse brevi post cum primoribus Parthorum placide ad

¹⁾ Plut. l. l. Dio Cass. l. l.

²⁾ Plut. l. l. 30. Dio Cass. l. l. 26.

collem adequitavit, dextram protendens et Crassum evocans ad colloquium. Milites libenter Surenae verba acceperunt, iisque habuerunt fidem; sed Crassus, qui toties se a Parthis decipi passus erat, tunc recte intellexit, sibi insidias a barbaris parari. ¹⁾

Hanc ob rem exercitum admonuit, ut quod diei reliquum esset resisterent, proxima enim nocte omnibus viam patere in montes, ubi nullum a Parthis periculum immineret.

Sed persuadere militibus haud potuit, qui cum haesitantem quum viderent, clamare coeperunt, milites ab eo armatis hostibus obiici, quibuscum ipse inermibus ad colloquendum congregari non auderet. Tumultu deinde orto, minae etiam in imperatorem audiebantur et scuta pulsabantur gladiis. ²⁾

His rebus victus Crassus, militibus morem gerere decrevit; sed priusquam collem reliquit, Octavium et reliquos, qui aderant Romanorum duces, advocavit, ut testes sibi essent quam indigne a suis cogere, eosdem autem simul admonuit, ne coram aliis hominibus dicerent, se a civibus suis hosti esse traditum, sed periisse dolo Parthorum. ³⁾ Statim ei descendenti occurrerunt duo barbari a Surena missi, qui Graeca eum lingua iusserunt certos de suis viros praemittere, quibus ostenderetur, Surenam cum

¹⁾ Plut. l.l.

²⁾ Plut. l.l.

³⁾ Plut. l.l.

suis inermem ad colloquium venisse. Qui autem exploratum a Crasso praemissi sunt, a Parthis capti sunt et retenti. Ipse interea Surenas cum aliquot equitibus Crasso occurrit, quem quum patrio more vidisset pedibus euntem, valde miratus est, et equum splendide ornatum adduci iussit. Dextra deinde porrecta a Crasso petivit, ut hunc equum regis nomine ci oblatum dono acciperet, simulque eum rogavit, ut secum ad flumen progrediretur ad pacis conditiones litteris mandandas, Romanos enim leges non scriptas oblivisci solere. Crassus, quidnam consilii caperet adhuc deliberans, repente a barbaris correptus et in equum impositus est, quem statim illi verberibus ad cursum incitarunt. ¹⁾

Quod ut vidit Octavius ceterique, qui imperatorem secuti erant Romani, prehensio freno equum inhibere eosque, qui Crassum retinebant, remove conati sunt. Certamine orto quum multi, qui ad hanc rem compositi erant barbari, suis succurrissent et Romani procul abessent, Parthi tandem superiores facti sunt. Octavius gladio Parthi cuiusdam arrepto equisonem, qui Crasso vim intulerat, cecidit, ipse autem a tergo cactus interiit. Petronius cum paucis illaesus e manibus effugit et ad eos, qui in monte relictii erant, salvus pervenit. ²⁾

Ipse etiam Crassus occisus est, sed cuiusnam

¹⁾ Plat. II. 31.

²⁾ Plat. II.

manu quomodo ve perierit, parum constat. ¹⁾ Mortui manum dextram et caput amputavit hostis, ut victoriae signum afferretur regi Orodi, qui hoc tempore in Armenia erat apud regem Artabazum, quocum pacem inierat, quae firmata est nuptiis inter Pacorum Orodis filium et sororem regis Armeniae. In ipsis nuptiarum comissionibus nuntius allatus est de victoria reportata et caput Crassi ludibrio fuit convivis, caput illius viri, qui omnes sui aevi Romanos divitiis superaverat, sed ferre non potuerat, se duobus aequalibus potestate cedere, Caesari et Pompeio. ²⁾

¹⁾ Plut. l. l. Cf. all. a Vaillant, Arsacid. Imp. I, 120.

²⁾ Plut. l. l. 32 seqq.

E R R A T A.

Pag.	2.	lin.	25.	unde Mario licet absenti, rursus, cum <i>lege</i> unde Mario, licet absenti, rursus cum	
"	3.	"	2.	progederentur <i>lege</i> progredierentur	
"	6.	ann.	1).	App. I. l.	" App. I. l. 64 seqq.
"	9.	"	1).	Plin. XXX, 4.	" Plin. XXX, 1.
"	14.	lin.	5.	praecerat	" praecērat
"	22.	"	4.	arrideret. 2)	" arrideret.
"	"	"	6.	creatus est.	" creatus est. 2)
"	"	"	11.	sec	" sed
"	"	ann.	4).	App. I. l.	" Plut. et App. I. l.
"	24.	"	2).	Verr. V. 2.	" Verr. II, 5. 2.
"	35.	lin.	14.	Trigrane	" Tigrane
"	41.	"	2.	poenitentiae	" poenitentia
"	"	"	5.	constitutoque	" constitutaque
"	43.	ann.		3) <i>lege</i> 1). 1) <i>lege</i> 2). 2) <i>lege</i> 3).	
"	"	"	2).	Plut. Caes. 6.	<i>lege</i> Plut. Caes. 8.
"	45.	lin.	18.	auctoritass enatus	" auctoritas senatus
"	76.	"	11.	commodas	" commodam
"	87.	"	4.	moto	" moti

QUAESTIONES.

I.

Falso Plutarchus (Crass. 11) narrat: Crassum ad Senatum literas misisse de Pompeio ex Hispania revocando belli servilis causa.

II.

Pompeius fortuna potius secunda quam virtute ad magnam pervenit gloriam.

III.

Dissentio a Mommseno. Röm. Gesch. I, 94, 3^{te} Aufl.: nichts ist verkehrter als die servianische Ordnung für die Einführung der Timokratie in Rom auszugeben.

IV.

Tribubus servianis tam patricii quam plebeii continebantur.

V.

Ad Sophoclis Philoct. 683 *antistr.* α' perperam scholiastes vocabulum *κακογείτονα* interpretatur: οὐ μόνον ὄπου καλὸν οὐκ εἶχε γείτονα, ἀλλὰ οὐδὲ κακὸν, παρ' οὐ ἀμοιβαῖον λόγον στενάζων ἀκούσεται.

Verba sic distincta: οὐδέ τιν' ἐγγύρων κακογείτονα, vertenda sunt „*neque quemquam indigenarum mali socium habens.*”

VI.

Causa exsilii Xenophontis, quam memorat Pausanias V, 6, 4 non refutatur verbis, quae affert Diogenes Laërtius II, 7, 51.

VII.

Liv. XXII, 60, 23 pro *arma* a nonnullis recte legitur *armis*.

VIII.

Livii verba XXV, 3, 16. „*ut sortirentur ubi Latini suffragium ferrent*” non sunt sollicitanda.

IX.

Sall. Bell. Iug. XLV, 2 vocabulum *arte* non substantivum, sed adverbium esse arbitror.

X.

Virg. Aen. I, 249 verba: „*nunc placida compositus pace quiescit*” intelligenda sunt de morte.

XI.

Ibid. I, 672 pro *hospitia* legendum *consilia*.

XII.

Perperam Scholiastae ad Hor. Epist. I, 3, 9: „*deridet Horatius Titium*.”

XIII.

Guilielmus II anno 1650 contra urbem Amstelodamum milites mittens strenue officio functus est.

XIV.

Schola Pythagorae refert ingenium Doricum.

Non assentior iis, qui contendunt in examinibus,
quae dicuntur, scholasticis diligentiae tantum ratione
habita praemia esse tribuenda.

